

George Frederick Nott.

Charles F. Cox.

New York.

33679/A

J. Chelsum

18/

B x1

18/l

27

Lindinger

67151(1)
Montagu.

IO. SIMEON LINDINGER

D. ET PROF. THEOL.

DE 1855.

EBRAEORVM VETERVM ARTE MEDICA,

DE

DAEMONE, ET DAEMONIACIS.

SERVESTAE ET LEVCOREAE.

APVD SAM. GODOFR. ZIMMERMANNVM.

MDCCLXXIV.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

DE
EBRAEORVM VETERVM ARTE MEDICA.

P. I.

§ I.
De primorum hominum vita.

Prima hominum aetas, ſalubri et moderato victu contenta, menſas pingues, et plena vinorum pocula prorſus ignorauit, vixit ſeuere, ſobrie, parce, multumque abfuit a noſtra viuendi ratione. Huic, in omni victu et cultu corporis, continentiae, ſi a ſingulari gratia diuina diſceſſeris,

 affin-

affinge optimam telluris conditionem, adiunge corpora firma, annecte labores paruos et dulces ſub dio, et deſines mirari incorruptam longaeuorum ſanitatem, deſines, cum Sanchuniathone ficto, vitam longiſſime protractam ex chemiae fontibus deriuare. Cum vero, procedente tempore, cibi condimentum non amplius eſſet fames, nec potionis, ſitis, cum molliter ſe curare, pigritia et luxu Alcinoi, diffluere moris eſſet, tum macies et noua febrium cohors irrepſit, neceſſitasque leti ſemoti prius tarda corripuit gradum. Nec dubium eſt, quin, cum intemperantiae lues nefanda frangeret corporum vires, improuiſaque vis gentes raperet, inuenta ſit, qua morbis obuiam iretur, medicina. Hac autem, quae multis doctis primo loco ſtare, ceteriſque artibus aetate anteire videtur, bona pars hominum carere poterat, niſi eius vſum ingluuies effeciſſet neceſſarium.

§ II.

Natales medicae artis latent.

Incunabula artis ſalutaris obſcura eſſe, video et ſentio, quippe antiquiſſimus omnium

ſcri-

ſcriptor, Moſes, qui primos multarum rerum auctores detegit, de medicamentorum tacet inuentore. Alii, Ebraeos ab Aegyptiis ſcientiae huius rudimenta accepiſſe, contendunt, alii contra, eius initia ab Ebraeis ad Niliacos manaſſe, hariolantur. Hoc probari nequit, illud, ex Spencero ductum, iam debellatum eſt. Nos ideo, quando coeperit huius rei doctrina, exquirere non laborabimus. Illud admonere ſatis eſt, omnia, quae ars conſummauerit, initia duxiſſe a natura; aut tolle medicinam, quae ex obſeruatione ſalubrium, atque his contrariorum, reperta, et, vt quibusdam placet, tota conſtat experimentis, nam et vulnus deligauit aliquis ante, quam haec ars eſſet, et febrem quiete et abſtinentia, non quia rationem videbat, ſed quia id valetudo ipſa coëgerat, mitigauit a). Non ſollerti tunc cogitatione medicamina, per experientiam probata, certo tempore adhibita ſunt, verum, quocunque per ſimiles caſus diſſimilesque obſeruatio duceret, morbis id mederi exiſtimabatur.

a) Quinctiliani inſtitution. lib. 2. c. 17.

Intenſiori quisque ſtudio in hoc incumbit, quo carior ſua cuique ſanitas, et niſi dolores adimerentur, vita ipſa fieret poena. Ars haec primo ortu rudis admodum fuit, ſiquidem nihil eſt in rerum vniuerſitate, quod poſſit in ſui primordio compleri, ſed ferme in omnibus ante eſt ſpei rudimentum. Ipſe vſus meditando primum artes extudit, quas dein poſteritas ita perfecit, vt et nobis ſemper ſit relictum, in quo ingenii vires liceat experiri. Veniet tempus, quo iſta, quae nunc latent, in lucem extrahat dies, et longioris aeui diligentia. Commune hoc omnium diſciplinarum, quae maxime naſcentes ſunt incultae, quarum ſubtilitas in proceſſu creſcit. Fuit tempus, quo medicina paucarum eſſet ſcientia herbarum, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, et vulnera coirent. Sed ne opus quidem tum erat remediis diligentibus, cum nondum nequitia in tantum ſurrexerat; poterant vitiis ſimplicibus obſtare remedia ſimplicia, firmis adhuc ſolidisque corporibus, et cibo facili, nec per voluptatem corrupto. Nunc in cute curanda plus aequo operatur iuuentus, cui, ad fruges conſumendas natae, pulcrum, in medios dormire

mire dies, nunc neceſſe eſt, tanto operoſiora eſſe munimenta, quanto valentiora ſunt, quibus petimur b).

§ III.

At primi homines habentur medici.

Homines primi, quibus valetudo contigit abunde, habentur quidem medici optimi et nobiliſſimi, ſed non ſunt, licet aliquam medendi cognitionem empiricam, aetati, qua vixere, non repugnantem cepiſſe, quantum concedit veritas, largiar. Adamus, Methuſala, Noa, Semus, Chamus, Iacobus et Ioſephus ab ipſis, quod mirum, quibusdam Galeni filiis ſuos in choros intrudi ſolent, in quos tamen minime ſunt referendi, etenim tum quilibet ſui ipſius, ſuorumque poterat eſſe Machaon. Adami adhuc integri ſapientia conſiſtebat in admirabili cognitione Dei, ſui ipſius et eorum, quae ad beate viuendum pertinebant. Haec vero medicum eo ſenſu, quo ſumimus, nunquam procreabunt, quippe omnis ſcientiae culturam multos annos et honeſtas ingeniorum certationes requirere

b) Senecae epiſt. 95.

putem. Nec excogitabis argumenta ad probandum firma, parentem primum extenti aeui beneficio medicas res reperiſſe, ſuosque ad eas inſtruxiſſe. Phyſicam eius eruditionem ex eo quidam elicere ſtudent, quod animantibus nomina, naturae eorum conuenientia, dederit, quorum veſtigia in lingua primaeua, eiusque filiabus, ſupereſſe, multi cum Bocharto firmiſſime aſſeuerant c). Ego vero amice nego, appellationes iſtas examuſſim indoli beluarum reſpondere, addo, omnem de primaeua lingua diſputationem eſſe incertiſſimam. Multa alia ſpecioſius, ſi modo cohaererent, dicuntur. Temporum noſtrorum ratio cum prima primi hominis conditione, et aliqualis operum naturae notitia mendoſe cum phyſica noſtra confertur. Porro, quae de re medica, duabus Sethi columnis fictis inſcripta, paſſim legimus, Graeca fide narrantur. Ipſe Ioſephus ſtelam Aegyptiam cum columna Sethi lapidea miſcet, quae ad eius aeuum vsque, vt Marpeſia cautes, in terra Siriade ſtetiſſe dicitur, ipſumque Sethum et Soth, vel Mercurium Aegypti, in vnum

c) Bocharti hierozoic. lib. I. c. 9.

vnum confundit d). Haec firme ſuſtinenda ſunt, cognitionem primorum ſaeculorum naturalem ad vitae genus, ad tempora et loca, eſſe contrahendam. Noae, Abrahami, Iſaaci et Iacobi exempla docent, diligentiſſimos agricolas et pecuarios fortes fuiſſe, paruo beatos; in qua vitae ratione vſu didicerunt, quae dolores ſedare, funditusque tollere poterant. Si viros, qui tum in ſapientia eminuere, diiudicare velis, volue annalium ſacrorum monimenta, et ſperne alios teſtes, qui de hac gente, ſibi ſemper ſoli relicta, rumores frigidos collegerunt. Verum eſt, fuiſſe in ea viros ſummos, diuina luce colluſtratos, et in peculiarem Dei conſuetudinem inſinuatos, fuiſſe vates inflatu diuino praenuntiantes, quae caliginoſa nocte premebantur; illa tamen non ita intelligenda ſunt, ac ſi omnes ſcientias acquiſierint praeceptionibus, et ex diſciplina noſtra fuerint docti. Haec diuina lux, multorumque, per quos viuebant, annorum vſus ad intelligentiam emendandam omnino multum contulit;

d) Ioſeph. antiquitat. Iud. lib. I. c. 2. § 3. Iablonski Pantheon Aegypt. lib. 5. c. 5. 178. 179.

tulit; quodnam vero litterarum culmen attigerint, ex eorum vitae genere determinandum eſt. Erant autem ad Ioſephum vsque paſtores, qui familiam ſuam, ſuosque greges prouide auctos, tuebantur e). In talibus ſtudiis ars medendi non cernitur, et ſi qua eius ratio fuerit, caue metiaris modulo noſtro.

§ IV.

Eiusdem argumenti continuatio.

Obiicis nobis Noam, chemiae peritum, qui, cum videret, tot animalia per ſemeſtre in arca pabulo diuerſiſſimo ali non poſſe, locumque ad illud deficere componendum, liquorem chemiae ad vitam animantium ſeruandam adhibuiſſe fertur. Haec coniectura, quae ingenium magis, quam vim declarat, teſtem habet nullum. Semi publicos rerum medicarum commentarios ſacrae pandectae non memorant, quos tamen in Electoris Moguntini bibliotheca ſuperare ſtatuit Scipio Sgambatus f). Riſum, quaeſo, teneatis amici.

Cha-

e) Brucker hiſtor. philoſ. T. I. p. 53. 63. f) im Archiv. V. T. lib. I.

Chamum fuiſſe phyſicum, in primis magiae auctorem, a quo et chemiae nomen deducendum, magna voce clamas. Nunc haec omnia, vtpote ex impuris fontibus hauſta, ſimpliciter nego, quippe illa notatio linguae Arabicae, vnde chemia, ſeu ars occulta, ortum traxit, refragatur, nec non omne, quod ex vi nominis elicere ſtudes, argumentum, eſt machaera ficulna. Ante ſaeculum a Chriſto nato quartum nulla fit mentio chemiae, mutationem metallorum ignobilium in nobiliora promittentis. Philo Abrahamum depingit, vt Pythagorae diſcipulum, Iudaei contra in libro Iezira, vt cabbalae peritiſſimum, et Ioſephus, vt docentem accolas Nili arithmeticam, et aſtrologiam, tacentibus paginis ſacris g). In originibus, quas Moſes, Deo actus, pandit, de medicis et medicaminibus ne verbum quidem occurrit, licet infirmitatum corporis mentio moueatur. Ipſe Deus Abimelechum, eius vxorem et ancillas ſanat, quem tam difficili morbo laboraſſe, vt eius ſalutem deſperarint meden-

 tes,

g) Ioſeph. l. c. lib. 1. c. 8. § 2.

tes, tradit Ioſephus h). Iſaacus prae ſenio caecutit. Iacobus altero claudicat crure, eumque, vbi pedibus in lectum contractis exſpirauerat, condiunt pollinctores Aegyptii. Rachelem aegre enitentem obſtetrix ſine metu eſſe iubet, illa vero, animam agens, in eo nixu moritur i).

§ V.

De Iacobo paſtore phyſico.

Etſi Iacobus paſtor virgis diſcoloribus, quas, coniunctionis tempore, canalibus aquarum circumpoſuit, verſicolores pecoris ouilli et caprini pullos compararet numeroſos, tamen hoc artificium phyſicam eius eruditionem neutiquam prodit. Res illa, Deo extra ordinem fortunante, ſucceſſit, et ex virgarum variantium aſpectu concolores fetus partu editi ſunt k). Oues Iacobi, ait Iſidorus Hiſpalenſis, nouellas conceperunt, quales vmbras arietum deſuper aſcendentium in aquarum ſpeculo contemplabantur.

h) Geneſ. 20. 17. Ioſeph. l. c. lib. 1. c. 12. § 1.
i) Gen. c. 27. 1. c. 32. 31. c. 50. 1. 2. c. 35. 16—18.
k) Gen. 30. 37—43.

tur l). Alios in equabus et columbis idem praeſtitiſſe, certum eſt. Hominis ſollertia, ita canit Oppianus, pullum equinum, in aluo matris latentem pungit ſtigmate, facitque, vt libitum eſt, verſicolores equos, matris etiamnum lacteis lumbis comprehenſos; ſiquidem equae amatorio impetu correptae, ac maritum expectanti pingunt equum variis coloribus diſtinctum. Generoſi etiam equi viſibus concipientium, quo ſimiles eorum creent, obiiciuntur m). Nec non columbarum curatores, vel prope feminas, roſtro comparis gemebundo mixtas, veſtimenta purpurea multa collocant, vt illae, limis ocellis eo coniectis, animo oblectatae dent purpuream prolem; vel depictas ponunt columbas pulcerrimas iis in locis, in quibus illae verſantur, quo rapiente viſu ſimiles ex ouis excludant n). Apide, ſancto Aegyptiorum boue, voraginibus ſubmerſo, ſemper alius corniger, iisdem notis inſignitus, reperiebatur, facile enim erat, oſtendere vac-

l) Iſidor. origin. lib. 12. c. 1. p. 1115. m) Oppian. Cyneget. lib. 1. v. 327 – 356. Iſidor. l. c. n) Iſidor. et Oppian. l. c.

vaccae concipienti, vnde libido matris attraheret, eosdem tauri colores, et decipere viſum o). Quae in ipſarum mulierum grauidarum oculos incurrunt, ea nonnunquam fetui formas indelebiles imprimere ſolent; quare illas quidam iubent, nullos intueri turpiſſimos animalium vultus, vt cynocephalos et ſimias p). Haec eſt conceptionis natura, vt qualem feminae rei alicuius imaginem vel modo finxerint, vel oculis viderint contentis, talem ſaepius progignant ſobolem. Matrona quaedam, quae aethiopem pepererat, adulterii arguebatur, verum hac conceptus indole defenſa eſt q). E contrario mater Charicleae, Perſina, Aethiopiae regina, album filiae colorem ab Andromedae pictura proficiſci fabulatur r). Alia adulterii ſuſpecta, quod infantem pulcerrimum, vtrique parenti et generi diſſimilem, nixibus ediderat, tali pictura in eius cubiculo inuenta, a ſuſpicione et poena per Hippocratem liberatur s). Lacaenae praegnan-

o) Auguſtin. de ciuitat. Dei lib. 18. c. 5. p) Iſidor. l. c. q) Calp. Flacc. declamat. 2. r) Heliodori aethiop. lib. 4. c. 10. p. 181. s) Bocharti hierozoic. P. I. lib. 2. c. 49. p. 544.

gnantes etiam tabulis, in quibus venuſti iuuenes picti, animum paſcebant, quorum pulcritudine ingenua obſtupefactae liberos corpore egregio enixae ſunt t). Deformis quidam, opibus potens, puerum facie placentem in ligno pingi curauit, quem dum vxor in mariti complexu intuetur, infantem picto ſimilem peperit u). Iam ſi ea phantaſiae mulierum vis, multo maior pecudum eſt, quae, dum in vno obtutu haerent defixae, effigiem partui imperfecto altius imprimunt. Oues coiturae, vel vario potu, colorem mutant, albae in nigras, et nigrae in albas vertuntur, hinc Scamander dictus eſt Xanthus v).

§ VI.

Ioſephus non fuit medicus in Aegypto.

Ioſephum in Aegypto magicas artes ſollerti ingenio percepiſſe, refert Iuſtinus in epitome Trogi Pompeii x), ſed is in rebus Iudaeorum eodem caecatus eſt errore, quo horum magiſtri, qui Ioſephum, primum a rege, in doctorem medicinae transformant, quam

t) Oppian. cyneget. lib. 1. 357 – 366. u) Galen. de theriac. ad Piſonem. v) Aelian. de animal. lib. 8. c. 21. x) Iuſtin. lib. 36. c. 2.

quam certe non a patre paſtore, non in Aegypto preſſus, non poſtea regius, nec a Potiphare ſocero, viro principe quodam, didicerat. Fuerit etiam Potiphar ſacerdos medicus, ob hoc gener, artem ſoceri callere, non eſt cenſendus. Academiae, ab eodem Ioſepho inſtitutae, ſolis coniectionibus fundatae ſunt, nam longe ante Ioſephum varia doctrinarum genera, et ars pollingendi in Aegypto floruerunt y).

§ VII.

Num Moſes fuerit medicinae gnarus?

Moſen ſcientiam medendi, partem ſapientiae Aegyptiorum praecipuam, haud ignoraſſe, affirmant Philo Iudaeus, Clemens Alexandrinus, Euſebius, Chryſoſtomus, et alii, qui Philonem ſequuntur z). Huius autem fidem ipſe Buddeus, licet Ebraeorum tutela ſit, eleuat a), quippe Philo, omnem ſapientiam ſolis Iudaeis vindicaturus, fabulas in

y) Geneſ. 50. 2. z) Philo lib. 1. c. 6. Clemens. Strom. lib. 1. p. 162. Euſebii praeparat euang. lib. 9. c. 19. Chryſoſtom. homil. 6. in euangel. Marci. a) Buddei hiſtor. philoſoph. Ebraeor.

in gentis ſuae honorem ſerit, omnesque ſui aeui diſciplinas ad Moſen audacter defert, ementiturque, hunc in muſice excelluiſſe, quam tamen, quaſi inutilem, noxiam, et virorum animos effeminantem, reſpuerunt Nilo geniti, hodieque reſpuunt Arabes b). Ipſe nimirum Philo, vt Pythagoreus, muſicam tractauit, propterea, qui hunc exſcripſere, veteres coetuum Chriſtianorum antiſtites, hac in re non audiendi ſunt. Aegyptus, cuius in omni doctrina inſtitutus eſt Moſes, tum non eas coluit artes, quas diu poſt Graeci per multa ſaecula perpoliuerunt, ſed, praeter duo litterarum genera, geometriam, arithmeticam, et aſtrologiam pueros edocuit c). Moſes in ſpem regni educatus eſt et eruditus, vt valeat ingenio et corpore, vt prudens et fortis ſit, aptusque ad res magnas; igitur eius eruditio vltra id, quo vixit, ſaeculum non eſt euehenda. Sciuit, quantum vitae ratio, et muneris, quo fungebatur, officium poſtulabat. Elementa matheſeos

b) Diodor. Sicul. lib. 1. c. 81. Carſten Niebuhr in deſcriptione Arabiae p. 27. c) Actor. 7. 22. Diodor. l. c.

theſeos prima ipſi non denegamus, caue autem cogites Euclidem. Iudica iam eos, qui totius phyſicae fontes ex eo deriuatum eunt. Vrges, aquam amaram ligno iniecto feciſſe dulcem, homines ſerpentibus morſos ſanaſſe, leges ad conſeruandam, et a variis morbis praecauendam, numeroſi populi ſanitatem poſuiſſe, normamque de cibis vetitis et licitis praeſcripſiſſe, ideo in Hygeae ſociis eſſe numerandum d). Poteras addere pharmaceuticen, ob ſacrae vnctionis oleum, et ob ſacri ſuffimenti genera, ſecundum artis regulas componenda. Verum haec omnia Moſes iuſſu Dei, cuius miniſter erat, effecit, legesque illae ſalubres, quibus Ioua eum inſtruxerat, ad populum peculiari forma regendum, non ſunt mentis humanae fetus. Prudens quidem et maximus erat vir, ſed ad medicos non eſt aggregandus.

§ VIII.

An chemiam percalluerit Moſes?

Neque cabbalae, longe poſt Moſen inuentae, neque chemiae, pro qua pugnat Dickin-

d) Exod. 15. 25. Num. 21. 8.

Dickinſon, ſciens fuit, etſi particulis vituli aurei, igne colliquefacti, minutiſſimis aquam, ex qua Iſraëlitae biberunt, conſperſerit e). Nulla hic ſcientia occulta opus erat, cum auri puluerem eos potaſſe haud crediderim, nam maſſa illa rudis, in tenuiſſimam attrita ſcobem, ſtatim torrentis ima petiit. Quoties nunc ex eo aqua hauriebatur, cultus idoli memores ad frugem redirent. Ars aurum elimandi Ebraeos non fugerit, etenim Salomonis equites ſcobem auream capillis ſuis quotidie ſic inſperſiſſe, vt capita fulgore auri, ad ſolem repercuſſo, radiarent, dicuntur f). Verus imperator etiam ſuas flauentes comas, quo magis fulgerent, auri ramentis reſperſit g), et Commodo erant capilli ſemper fucati, aurique puluiſculis illuminati, ſeu, vt Herodianus perhibet, caeſaries eius flaua, quando in ſole ambulabat, quaſi ignis rutilauit, vt quidam ſcobe aurea putarent con-

e) Edm. Dickinſon in phyſ. vet. et nov. p. 317. Exod. 32. 20. Deut. 9. 21. f) Ioſephi antiq. Iud. lib. 8. c. 7. § 3. g) Capitolin. in Vero c. 10.

conſperſam h). Gallienus quoque crines ſuos auri ſcobe aſperſit i). Hi vero auri particulas non ex Tagi aut Pactoli arenis, ſed ramenta, de auri mole limando detracta, ſumſerunt. Moſes eadem forſitan induſtria pondus illud iners ita limari iuſſit, ac ſi in piſtrino eſſet contuſum.

§ IX.

In ſapientia Salomonis nulla ineſt ratio medendi.

Inter omnes aeui ſui ſapientes eminet vnus Salomo, qui infinita ingenii vbertate Arabibus, Aegyptiis, omnibusque aliis mortalibus, ſapientiae gloria antecelluit, diſſeruitque de arboribus a cedro Libani vsque ad hyſſopum, de quadrupedibus, de volucribus, de ſerpentibus et de piſcibus k). Sunt, qui praeconio huic adiungere pergunt, Pythagoram, Platonem et Stoicos, Salomonis fontibus hortulos ſuos irrigaſſe, ex iis Hippocra-

h) Lampridius in Commodo c. 17. Herodian. lib. I. c 7. i) Trebellius in Gallieno c. 16. k) I Reg. 4, 29 - 34.

cratem hauſiſſe medicam artem, Ariſtotelem hiſtoriam animalium, Theophraſtum plantarum l). Aethiopem lauaret, qui hos refutare conaretur. Sirachi filius omnem huius regis ſapientiam recte ita depingit: in iuuentute tua, fluminis inſtar, prudentia plenus, totum orbem referſiſti ſententiarum ambagibus, tuaque pace carum te in carminibus et prouerbiis, et ſententiis, et interpretationibus admiratae ſunt nationes m). Regum ſapientiſſimus habuit vtique multarum rerum intelligentiam, ſed Orientis, non Graeciae, nec Latii, nec noſtro more; cum primis regiae virtutes, prudentia regnandi, iuſtitia, aequitas, pacis amor, et mens docilis ad bonum a malo diiudicandum, in eo fulſerunt n). Excelluit doctrina morum, pictore rectius deſcriptorum, ſtiloque ornato inculcatorum; excelluit ſirpis, argutiis, ſtructis aenigmatibus et ſolutis, ſingularis olim ſapientiae teſtibus; enituit potiſſimum genere dicendi figuris pleno, ſimilia ſumſit ab arboribus et plan-

l) Toſtat. T. 2. diſput. 19. Sect. 5. Salianus T. 3. p. 446.
m) Sirach. 47. 16 – 18. n) 1 Reg. 3. 9 – 11.

plantis, et ab omnibus animantibus; translationesque ex omni natura petitas ad moralia concinne applicauit.

§ X.

Salomo non ſcripſit ad medicam rem pertinentia.

Salomo tot translationes a Libano, cedrorum ferace, et Carmelo, vitibus, oleis aliisque arboribus frequente, et ab arboribus et herbis repetiit, quod Palaeſtina his abundabat. Hinc illae a paſcuis, ouibus, et pabulo, ductae comparationes in canticis Dauidis prope omnibus, vt quidam Ebraeorum poëſin dixerit herboſam. Ergo Ioſephus et auctor libri ſapientiae, aliique multi, qui Salomonem tota volumina arboribus, plantis, animantium genere omnium, rebusque medicis impleuiſſe, falſo ſibi perſuaſerunt, tempora noſtra non morentur o). Hos libros abstuliſſe Ezechiam, quia populus in herbarum viribus magis, quam in Deo confideret, garrit auctor libri Zeror Hammor. Salomonem

o) Ioſeph. Antiq. lib. 8. c. 2. lib. ſapient. c. 7. 17-21.

nem fuiſſe phyſiologiae ſummum quaſi architectum, fabulat Euſebius p). Auicenna loquitur de electuario Almutagnachil ad Salomonem quendam relato, et Serapio memorat Salomonem quempiam medicum q). Suidas autem narrat, Salomonem regem de cuiusuis morbi remediis volumen conſcripſiſſe, eiusque praecipuas enuntiationes, Hieroſolymitani fani veſtibulo inciſas, Ezechiam deleuiſſe r). Sileo de Salomonis herbario, clauiculis, idea, annulo, magia, necromantia, neomenia, ſomniis, contradictionibus, myſterio omnium myſteriorum, exhortatione ad Rehabeamum, throno, teſtamento, aliisque in eius locum ſuppoſitis. Apage has nugas bullatas.

§ XI.

Inciſionis inuentiones Salomoni fuerunt ignotae.

Allegoriarum, ſeu plurium translationum continuarum, quibus Salomoni par erat

p) Euſeb. praeparat. euang. lib. 11. c. 5. q) Serapio antidot. c. 20. c. 33. r) Suidas in Ezechia et Salomone.

erat nemo, exemplar habes in ſenectutis pictura, ex qua medicae peritiae argumenta tantum non omnes interpretes eliciunt, nam in argenteo fune intelligunt ductum thoracicum Pecquetianum, guttum aureum explicant pia cerebri matre, vrnam ad fontem fractam interpretantur cor eſſe, ex ciſterna chyli ſanguinem hauriens, et rotam putei eſſe tradunt ſanguinis in orbem fluxum s). Haec inuenta anatomes recentiora ob ſolam allegoriam regum ſapientiſſimo, qui non ſolum ſua ratione, verum etiam extraordinaria luce diuina, vere illuſtratus erat, tribuuntur. Vnde autem illa ſciuit? Diuinitus et per ſacrificia quotidiana. Illud nullo argumento firmabis, et hoc eſt falſum, quia rex ad ſacrificiorum mactatum non eſt admiſſus. Si ſanguinis in orbem motus, ceteras vt taceam inuentiones, tum non latuit, miror, eius memoriam ita fuiſſe oblitteratam, vt tandem aliquando ab Haruaeo primum explicatus ſit. Salomonem non fuiſſe inciſionis peritum reor, ſiquidem deſcribit corpus humanum

s) Eccleſiaſt. c. 12. 2 — 7.

num, non anatomicorum diligentia et ſubtilitate, ſed pinguiori, vt in prouerbio eſt, Minerua; comparat illud in genere cum puteo, quo bene vtimur, quamdiu rota, hydria et funes fortes ſunt ac integri. In allegoria non moroſe omnes eius partes examinandae ſunt, verum ad translationis fluentis ſcopum praecipue eſt attendendum. Satis erit, ſi maneat rei imago. Saepe hic peccatur, in ſacris praeſertim, vbi ſingulas partes dum ad rem ſignificatam applicare volunt homines, et ſimilitudinem nimis extendere, non euitant nugas. Appoſite Maimonides: Senſus parabolae interior ſub litterae externae cortice latet, vbi tota parabola rem ſignificatam totam exhibet, multa quidem adſunt verba, ſed non ſingula pondus habent, inſeruiunt tantum elegantiae t).

§ XII.

De ſacerdotibus in medicos relatis.

Ebraeorum ſacerdotes poterant victimarum ſtructuram et vſum, motum cordis et inte-

t) Maimonid. praefat. ad More Neuoch.

inteſtinorum, aliaque obſeruare, num vero obſeruarint, minimarumque partium intimarum receſſus, naturam, et finem inſpexerint, non liquet. Si quaedam vſu et obſeruatione edocti detexiſſent, non video, qui poſteritatis memoria ita potuerint excidere, vt poſt multa demum ſaecula primo reperta fuerint. Illos, pharmacopolarum ad inſtar, multa tractaſſe non repugnarim, nam ex ſtacte, croco, galbano odorato, et ture, ſacrum ſuffimen ad leges praeparatum, et arte vnguentariorum temperatum, concinnabant, nec non ex aromatibus, cinnamo, myrrha, calamo aromatico, atque oleo, ſacrae vnctionis vnguentum componebant u). Praeterea de menſtruis, de gonorrhoea, de impetigine, aliisque impuritatibus iudicabant, quas, quoniam Iudaei validiſſime auxerant, bene noſſe et ſcire, difficillimum ſui muneris habebatur v).

§ XIII.

Iidem de lepra iudicium faciebant.

Sacerdotum iudicio ſubiecta erat lepra, qua nil im-

u) Exod. 30. 7 — 35. v) Exod. 15. 26. Leuit. c. 15. c. 13. c. 14.

immundius, quo circa quicunque ea impuritia infamis, ne contaminet alios contactu, ab aliorum conſortione et ſacris coetibus abſcindebatur, vt ne Vziae quidem regi parſum ſit x). Lepram Arnobius vitiliginem, Seneca foedam ex albo varietatem, Tacitus tabem corpora foedantem, alii porriginem dicunt eſſe, qua corruptorum vel totum corpus ſquamulis et ſcabie obſitum erat, vel inter pilos tantum quaedam quaſi ſquamulae ſurgebant y). Ebraeorum lepra, quae etiam vel totam corporis humani cutem, vel modo caput et barbam infeſtabat, non eſt elephantiaſis Graecorum ad poſtremum nigreſcens, de quá Celſus agit z). Idem medicorum Cicero tres facit vitiliginis ſpecies, quarum prima albeſcit, fere ſubaſpera, et non continua, et quasdam quaſi guttas diſperſas habet, latiusque interdum et cum quibusdam intermiſſionibus ſerpit; ſecunda ſpecies eſt

 nigra,

x) Leuit. 13. 46. 2 Reg. 15. 5. y) Arnobius de miracul. Ieſu p. 26. Seneca natur. quaeſt. 3. 25. Tacit. hiſtor. 5. 3. Iuſtin. 36. 2. z) Celſus lib. 3. c. 25.

nigra, vmbrae ſimilis, cetera ſunt eadem; tertia eſt candens, in eaque pili fiunt albi, et lanugini ſimiles. Prima et ſecunda ſpecies in quibusdam vario tempore oriuntur et occidunt, admittuntque curationem haud difficillimam; tertia vero, quem occupauit, non facile dimittit, nec, ſi quid ei vitio fuerit demtum, ſanus ex toto color redditur, neque, ſi humor albidus loco ſanguinis exit, poteſt ſanari a). Hanc ſpeciem Petrus Roquius leprae Ebraeorum conuenire autumat b). Impetigo, quam Hippocrates Latinus deſcribit, eſt foeditas cutis, cum pruritu ſerpens, quam nonnulli ſcabiem ſiccam, aſperam, prominentem, et candentem intelligunt, cuius genera leprae generibus non repugnare ſtatuit Gorraeus c). Spencer opinatur, lepram Ebraeorum ſimilem eſſe leprae Graecorum, quam Hippocrates Cous turpitudinem magis, quam morbum fuiſſe affir-

a) Celſus lib. 5. c. 28. § 17. 19. b) Commentarior. Saurini in V. T. T. 2. p. 354. c) Gorraei definit. medic. in lepra.

affirmat d). Alii cum Luthero cenſent, lepram, cuius ſacer codex meminit, non multum a ſcabie mala differre; et Cunaeus putat, illam complexam eſſe vitiligines, pſoras, tetra vlcera, ſimilesque morbos, quibus Syri et Aegyptii, ceu propriis peſtibus, fuerint obnoxii, additque, Iudaeos, quod metuerint, ne ex porci eſu, contactuue ad corporum prauam affectionem contagio accederet, paullo ſuperſtitioſius, quam forſit lex iuſſerat, ſuem, in qua ſcabies et impuritas natura eſt, auerſatos eſſe e). Eandem opinionem fouent Tacitus, Lampridius apud Plutarchum, ipſique Iudaei, hanc legi diuinae rationem phyſicam, quod porcum comedenti periculum ſit a lepra, ſubeſſe diuinant f). Bechai in libris quibusdam medicis ſe legere meminit: infantem, ſi lac ſuillum ſugat, lepra oppleri g). Ob hoc etiam Aegy-

d) Spencer de legib. Ebraeor. rit. p. 186. e) Lutherus ad Leuit. 13. 4. Cunaeus de rep. Ebraeor. lib. 2. c. 24. p. 368. f) Tacit. hiſt. lib. 5. c. 4. Plutarch. ſympoſ. lib. 4. quaeſt. 5. p. 175. Tractat. Talmud. de Sabbat. fol. 129. g) R. Bechai in legem.

Aegyptios lacte ſuis abſtinuiſſe, teſtantur Plutarchus et Aelianus h). At ſi ratio haec ſola vera eſſet, Gadarenſes, Iudaeorum vicini, nunquam aluiſſent greges porcorum i), nec Graeci et Romani veteres porcum et aprum, ceu delicias, menſis appoſuiſſent k).

§ XIV.

Quaeſtio de lepra continuatur.

Turnefortius aſſeuerat, lepram in Oriente ſpeciem eſſe luis Venereae. In eadem ſententia eſt ſenator Serueſtanus, Fridricus Carolus Koenig, chirurgiae ſcientiſſimus, per quinque annos Batauiae et in inſula Ceylone noſocomiis Belgarum quondam praefectus. Hic teſtis religioſus et praeſens per decem annos multorum hominum mores et morbos in America, in promontorio Africae, et in India Orientis, prouidus inſpexit, latumque

h) Plutarch. in Iſid. et Oſirid. p. 119. Aelian. de animalibus lib. 10. c. 16. i) Luc. 8. 26. 32. Matth. 8. 30. Marc. 5. 11. k) Varro de re ruſt. lib. 2. c. 4. Cicero de natur. Deor. lib. 2. 64. Horat. Satir. lib. 2. 8. vs. 6. Satir. 2. vs. 89.

que per oceani aequor aſpera pertulit multa, tandem vero, immerſabilis aduerſis rerum vndis, patrios lares reuiſit. Carſten Niebuhr docet, Ebraeorum lepram fuiſſe Arabum elephantiaſis ſpeciem quandam. Hodierni Arabes vexantur leprae ſpecie Bohak l), quae non latius ſerpit, hinc periculoſa non eſt, interim in corpore nigro albi paſſim tumores apparent; anguntur ſpecie Barras, cui curatio haberi poſſe dicitur, quam diu pili in albis maculis nigri manent, ſimul ac contra pili albeſcunt, omnis medendi ratio ceſſat; vruntur ſpecie Dsüddam, vulgo Madsjürdam, lepra articulorum, periculoſiſſima, quando totum corpus foedant maculae albae m). Haecce confer cum inciſis ſacris n), et annota inſuper, in toto codice ſacro non legi, vllum hominem lepra corroſum, vel medicamine quodam, vel corporis vi reualuiſſe. Sed omnes iſtae, quas recenſuimus, ſpecies non accurate quadrant in lepram Ebraeorum, nam

l) Leuit. 13. 39. eadem vox occurrit. m) Niebuhr deſcriptio Arabiae p. 135 - 138. n) Leuit. 13. 10. 11. 13. Exod. 4. 6. Num. 12. 10. 2 Reg. 5. 27.

nam haec alba, ſi ſe diffudiſſet in omnes corporis partes, ſignum erat non ſanitatis quidem, at munditiei declarandae o). Purificato leproſo, lepra non eſt ſanata, verum veneno morbi iam efflato per vapores, periculoque contagionis depulſo, redditus ille eſt coetui publico. Gehazi, puer Eliſaei, ſempiternae leprae adiudicatus, verſatur cum rege mundus, non ſanatus p). Lepra plenum, a capite ad pedem, mundum pronuntiabis q). Sane nemo mundus ante, quam totum corpus lepra infectum erat et coopertum. Hoc quoque leprae huic proprium et ſingulare fuit, vt, ſi in candente eo modo corpore inciperet caro eſſe colore natiuo, quali ſolet eſſe caro hominis ſani, is lepra correptus haberetur, quaſi lepra tantum eſſet ſita in vario cutis colore. Mirum etiam, quod, cum haec lepra ſerpentis eſſet contagionis, ſacerdos eam diiudicans et diſtinguens, ea non contaminatus fuerit. Reperi, qui dicerent, morbum hunc fuiſſe ſolis

o) Lundii jüdiſche Heiligth. p. 758. 759. p) 2 Reg. 8. 5.
q) Leuit. 13. 12. 13.

ſolis Ebraeis priuum, quem Deus arbiter miſerit, expuleritque, nec medicis licuiſſe tam audacibus eſſe, vt remedia illi tollendo afferant, verum ſolis ſacerdotibus a Deo ad hoc munus vocatis r). Ego vero contendere auſim, fuiſſe ſpeciem leprae adhuc nobis ignotam.

§ XV.

Morbi oriuntur, occiduntque.

Morbi ſub eodem etiam caelo variant, iuuenum fere ritu florent modo nati, vigentque, mutantur vt ſiluae, quarum prima folia cadunt. Saeculis XI et XII multa millia hominum lepra pereſorum in Europa fuere, et ſaeculo XIV perquam multi, eadem dira corporis illuuie ſcabri, ob varias criminationes in Gallia flebiliter combuſti ſunt s). Teterrima haec ſpurcities afflixit olim inſulas Gleſſarias et Islandiam, eneruauit ſaeculo praeterito longe plures Chriſtianos, quam Iudaeos, cuius rei cauſas inquirit

r) Hammond in Matth. 8. 4. s) Calmet. diſſ. de lepra. Mezeray abregé chronol. ad a. 1321.

rit Buxtorf t). Satis diu mali huius aetas interiit. Plinius refert, lichenas ſeu mentagram, carbunculum, et elephantiaſin, ignotos antea morbos, in Italiam irrepſiſſe; et elephantiam celeriter reſtinctam, gemurſaeque nomen oblitteratum eſſe u). Lues Veneria ſaeculo decimo quinto demum in Europa innoteſcere, et de variolis primi Arabes medici ſcribere coeperunt. Tarda podagra, qua Siculi tyranni non inuenere maius tormentum, pueros et mulieres poſt Hippocratem exercere occepit, eamque antiquiſſimi Romanorum ignorarunt v). Hydrophobia, quae Ariſtotelem et antiquiores latuit, ſe primum oſtendit viuente Pompeio et Asclepiade. Fuerunt morbi, qui nonnullorum ſiderum inſtar orti, certo poſt tempore exſtincti; ſunt, quos ortos non ita pridem nouimus, quorum finem nondum videmus. Quam ob rem lepra Moſaica ſuum habuit ortum, ſuumque occaſum.

§ XVI.

t) Th. Bartholin. de morb. biblic. c. 7. Buxtorf. ſynagog. Iudaic. p. 670. u) Plinius lib. 26. c. 1. c. 3. v) Plinius l. 26. c. 10.

§ XVI.

De veſtium et domorum lepra.

Non habet Maimonides, quod veſtium et domorum lepram mirabile ſignum in Israële vocet, nam ſcabies etiam, peſtis, et lues Veneria veſtes venenat, nitrumque, quod aedibus et maceriis exilit, leprae domorum aſſimulat Anglus Mead x). In Aegypto eſt nitrum fuſcum et rufum a terrae colore, quod olera facit viridiora, et Lydium eſt colore paene purpureo y). Lepra facillime potuit inficere tentoria Ebraeorum in locis deſertis, pellibus et veſtimentis tecta, et poſtea aedes, lapidibus, calce, aliaque materia exſtructae, maculas virides aut rufas contrahere, quarum vel exhalationes, vel vermiculi, domos et veſtimenta iugiter corrodentes, homini etiam nocere potuerunt. Hominum quoque leprae cauſa proxima apud Calmetum, virum apprime doctum, et teſtem locupletiſſimum, eſt innumerabi-lis

x) Maimonid. de lepra c. 16. § 9. Mead. in medica ſ.
y) Plinius lib. 31, c. 10. Salmaſii Plinian. exercitat. p. 778. a F.

lis vermium copia, oculo non niſi armato detectorum, qui, pruritu vehementi producto, cutem internam et externam, carnem, musculos et neruos paullatim perederunt z).

§ XVII.

De ſacerdotum morbo, eorumque medico.

Sacerdotibus in atrio et ſacrario fani, dum ſacra faciebant, ſuper pauimento nudis ſemper pedibus, ob ſingularem loci ſanctitatem ſtandum erat, hinc praecipue, cum etiam ob tenues, quibus leuiter veſtiti, tunicas, et ob multas, quas comedebant, carnes, et ob aquam, quam bibebant, ſaepiſſime viſcerum doloribus agitabantur. Quam ob rem, inter plurimos templi praefectos, erat quoque praefectus aegrotorum, ſiue medicus quidam, aut talis, qui in ſacerdotum ſanitatem aliquid curae conferret, qui illis diceret: hoc medicamentum ſalutare eſt visceribus. Talis erat filius Achiae, qui illorum morbos perſcrutaretur, medicinam iis faceret, atque hoc iugiter ageret ipſe, cum illis, qui ab eo pendebant.

z) Calmeti diſſ. praef. commentar. in Leuit.

debant. Olim hi ſacerdotes in templo nudipedes citius caleſieri poterant, quippe iis, hiberno praeſertim tempore, in pauimento peculiaris cuiusdam conclauis calefacto inambulare licebat. Poſt vero multi, vigore elanguescente, ex inteſtinorum debilitate, victu et veſtitu contracta, mortui ſunt. Propterea medicus in fano ſtatutus, in eam, quae huic malo occurrat, curam incumbens, quem haud temere viſcerum medicum dixeris a). Efficitur iam id, turbam ſacerdotum non fuiſſe Hygeae alumnam.

§ XVIII.

De vatum ſacrorum medica ope.

Vates ſacros in manifeſtanda Dei voluntate, in populo inſtituendo, inque cultu diuino ordinando, ſedulos fuiſſe, ſcimus. In ſcholis, quas cum academiis noſtris male confert Alting, diſcipulos, vocabant filios, res diui-

 nas,

a) Braun. de veſtit. Sacerdot. lib. 1. c. 3. p. 33. Bynaeus de calceis Ebraeor. lib. 2. c. 3. §. 4. Carpzouii apparat. antiq. in Goodvvin p. 787. Lightfoot T. 2. p. 516. Cunaeus de rep. Ebraeor. p. 295.

nas, muſice adhibita, docuerunt b). Tota eruditio, cuius praeclarum ſpecimen dant Dauidis cantica, oraculorum ſacrorum expoſitione, doctrina morum ex ſacris litteris petita, ſtilo dicendi ſublimi, ſententiis pleno, ac ſpecie quadam poëſeos tum claudebatur. An vero hi viri, quibuscum Deus multa communicabat, medica etiam tradiderint, non ſatis certum conſtat. In morbos impliciti non conſulebant, niſi hos vates, etenim Ierobeamus, per reginam vxorem, de filio iacente vatem Ahiam percontatur, et Achazias, rex Samariae, per nuntios Deum muſcarum Accaronenſem, et exinde Eliam, diuinitus medentem, ſciſcitatur, an eſſet conualiturus c)? Eliſaeus vates aquam vitioſam ſale iniecto, ac ſilueſtris cucurbitae fructum farina, correxit, Naamanem, lepra candenti contaminatum, refecit, nec non a rege Syriae, Benadado male affecto, Iouae reſponſum rogatus d). E contraria parte, cum Aſa rex, nodoſa vexatus podagra, non Iouam per vates, verum

b) Alting. T. 5. p. 240. c) 1 Reg. 14. 1 — 13. 2 Reg. 1. 1 Reg. 17 — 22. d) 2 Reg. c. 20. 20. c. 4. 40. 41. c. 3. c. 4. c. 5. c. 8. 8. 9.

rum medicos, neſcio quos, adiret, hoc conamen, vt in omni memoria inauditum et nouum, carbone notatum e). Eſaias vates vlceri regis Ezechiae letali maſſam ficorum iuſſit imponi, quo facto, is reualuit f). Sed hi vates non ſolis medicatibus, virtute potius diuina, feros pepulere dolores, quippe Deus ipſe ſe ſui populi medicum fore declarauerat g).

§ XIX.

Lecto affixi ſub diuo poſiti ſunt.

Morbis impliciti grauioribus in publicis viis exponi ſolebant, vt forte a tranſeuntibus, quos olim eadem dura valetudo tenuerat, aliquod conſilium, aut aliquam curationis viam caperent. Non validus corpore toto ſic morbi fugam quaerebat. Quo more antiquiſſimo lugubris lamentatio Ieremiae illuſtratur: o quicunque hac iter habetis, contemplamini et adſpicite, an ſit vllus dolor par meo dolori, audite, quaeſo, omnes populi,

e) 2 Chron. 16. 12. f) 2 Reg. 20. 7. Eſai. 38. 21.
g) Exod. 15. 26.

puli, et meum adſpicite dolorem h)! Quocunque Chriſtus ſoter intrabat in vicos, in vrbes aut pagos, incolae corpora vitioſa in grabatis eo afferre, per fora proponere, eumque rogare, vt vel eius togae limbum tangerent. Qua ſanandi virtute legati et diſcipuli eius innotuerunt, nam cubantes in lectis et grabatis per vicos exportabantur, vt venientis Petri vel vmbra aliquem eorum inumbraret i). Aſſyrii, medicis carentes, ſecundum ſapientem legem iubebant, non valentes in forum efferri, vt alios conſulant eodem morbo liberatos. Accedentes prope ad aegrum hortabantur ad ea, quibus vel ipſi, vel etiam alii, effugerint ſimile malum, facienda; nec fas erat, multis languoribus preſſum ſilentio praeterire ante, quam exploraueris, quaenam debilitas illum vrgeret k). Babylonii quoque male validos in compitis exponebant, quaerebantque e praetereuntibus, quisquamne morbi praeſentis remedium norit? neque vilus eorum adeo erat:

h) lamentat. Ierem. 1. 12. 18. i) Marc. 6. 55. 56. Actor. 5. 15. k) Herodot. lib. 1. c. 36.

erat improbus, quin occurrens admoneat, ſi quid ſalubre noſſet. Luſitani etiam debilitatos, vetere Aegyptiorum more, in viis deponebant, vt, qui eodem valetudinis genere tentati eſſent, hos iuuent medica ope l). Latini depoſitos vel deſperatos appellarunt, qui ante ianuas ſuas collocabantur, vt poſſent per tranſeuntes, aliquando ſimili iactatos miſeria, forte ſeruari m). Ex iſto more peruulgato prima medicae artis origo arceſſenda eſt, dum homines, collato inter ſe remediorum vſu, quae debilium ſaluti quisque praetereuntium propinauerat, poſtea certam medendi rationem inierunt. Quam conſuetudinem indoctam et peruETerem magnum rei medicae incrementum, adiuuante experientia, attuliſſe, Plutarcho, qui vsquequaque ſapit, lectiſſimo rerum explicatori, credimus n).

 § XX.

l) Strabo lib. 16. p. 1082. lib. 3. p. 234. m) Seruius ad Virgil. Aen. 12. 395. Ouid. ex Ponto 2. 2. 47. n) Plutarch. in lib. an recte dictum ſit: latenter eſſe viuendum p. 105.

§ XX.

Ebraeorum veterum medici erant chirurgi.

Medici celebres in Galaaditide, quae regio reſinae, et aliarum ad opem aegris ferendam vtilium rerum, prouentu abundabat, commemorantur o). Reſinae vſum in medicamentis, et vulneribus ſanandis, olim fuiſſe frequentiſſimum, auctor etiam eſt Dioſcorides, et de eadem canit Serenus Sammonicus:

Reſinam miſces, et ſaxis hordea fracta,
Simplice reſina miſcebimus hordea tuſa p).

Verum ars Apollinea humilis eſt, parumque habet laudis, ſine multarum naturae rerum cognitione, hinc repertus, qui diceret: Ebraeorum medicos, longe poſt Dauidis tempora, tantum fuiſſe chirurgos, inteſtinorum morborum ignaros q). In ſacris annalibus nulla omnino remediorum, internis morbis oppo-

o) Ierem. 8. 22. c. 46. 11. p) Dioſcorid. lib. 1. c. 108. Sammonicus c. 38. q) Shuckford. harmon. hiſtor. ſacr. et prof. P. 2. p. 259. cfr. Hiſtor. vniuerſ. ex anglic. in german. transl. P. 3. p. 182.

oppoſitorum, mentio mouetur; legimus tantum de medela, vulneribus externis parata. Qui alterum lapide, aut pugno, percuſſerat, eum, ceſſationis et medicinae pretio ſoluendo, lex Moſis obſtrictum tenebat. In regum libris multi, in quibus etiam eſt Ioramus rex, a Syris ſauciatus, nominantur, ad quorum vulnera medicae manus adhibendae erant r). Chirurgice autem eſt modo ancillula medicinae, nam haec habet quatuor famulas, coquinariam, chirurgiam, pharmaceuticen, et iatralipticen, quarum antiquiſſima ſine dubio eſt coquina; cum enim alii cibi prodeſſent, obeſſent alii, prima cura fuit, quo pacto per diaetam valetudo conſeruari poſſet, vel amiſſa recuperari. Proximae antiquitatis eſt chirurgice, ad quam nonnulli Hippocratis filii praeputium circumciſum, quoniam vulneris ſanguen ſiſtendum erat, referre non dubitant; ſed illud etiam ponere poteſt femina, vel homo, qui chirurgices limina nunquam pulſauit s).

r) Exod. c. 21. 19. 2 Reg. 8. 29. cfr. § 18.

s) Exod 4. 25.

§ XXI.

De remediis morborum.

Medici, ſeu chirurgi, vulnera vino eluebant, tum vt repurgent, cum a ſanie defendant, fluxusque ſanguinis propter vini vim ſtypticam ſiſtatur; poſt ea vt dolores confutent, vtque vulnus placide coaleſcat, iſtud, oleo, balſamo, et delinitionibus adhibitis, obligabant t); vomicas reſina, maſſa ficorum, et fomento emolliebant, alleuabantque, pure excitato et extracto, oleo delinitas emplaſtris, ſuperne alligatis, confouebant u). Quidam Iudaeorum doctores, vt Meir, vinum ac oleum ſabbato miſcendum, eosque, qui perdita erant valetudine, vngendos conceſſerunt v). Remedia, quibus in Canaane, et reliquis Orientis regionibus, homines vtebantur, potiſſimum in herbis et oleis, et in humore arborum reſinoſarum pingui conſiſtebant w). Arabes auſtrales hodier-

t) Luc. 10. 34. Ierem. 51. 8. Lightfoot T. 2. p. 303. 304. 444. u) 2 Reg. 20. 7. Ieſai. 1. 6. v) Lightfoot in Marc. 6. 13. vv) Ier. 8, 22. coll. Iacob. 5, 14.

hodierni, qui fere nudi incedunt, vnctionibus corpora reficere, ſolemque igneum a ſe ſolent arcere x). Iatraliptae oleo, vnguentis, et frictionibus, ſanaturi, non modo digitis vngebant aegrotos, ſed lauabant etiam calido oleo, non ſecus, ac aqua in balneis. Ita Herodis, omnibus membris luxatis, dolore quaſi aquae intercutis cruciati, totum corpus, in dolium olei plenum, demiſſum fouebant medici, cum antea aquis calidis iuxta Callirhoën, potui quoque commodis, vſus eſſet y). Atqui non legimus in diptychis ſacris de ſudore excitando, de potione, de vomitionis medicamine, nec de alui purgationibus; ſaepe autem de emplaſtris, de fomentis, de vnctionibus et ligaminibus. Vates ſacer, Ezechiel, memorat arbores, quarum folia medicinae inſeruiant z). Siracides laudat herbas, radices medenti vtiles, lignorum vires, vnguentarium, et myropolam a). Tobias filius fel piſcis ignoti, quippe

x) Niebuhr l c. p. 131. y) Ioſephus de Bell. Iud. lib. I. c. 33. § 5. z) Ezech. 47. 12. a) Siracid. 38. 4. 5. 7.

pe non eſt callionymus, nec ſilurus, nec lucius, illinit oculis patris, dein, expectata dimidia circiter hora, hic compunctas pupulas fricat, quarum ex angulis quaedam ſquamae decidunt, membranis oui ſimiles, quas Tobias manu prenſas reuellit, et lumina ſenis Tobaei illuſtrata ſunt a). Verum haec omnia ad pharmaceuticen, ad chirurgiam, et iatralipticen, pertinent. Iudaei contra in ſuis pandectis varia morborum internorum remedia, variasque alleuationes praeſcribunt, commemorantque, medicum imbecillo conſulenti reſpondiſſe, eum vel poſſe, vel non poſſe, excitari b). Medici, ſiue chirurgi huius gentis, videntur ſimul fuiſſe pharmacopolae, vt Arabum medici hodieque ſunt chirurgi, pharmacopolae, et veterinarii, propterea non multum proficere poſſunt c).

§ XXII.

De Eſſenis medicis.

Eſſeni et Therapeutae, quorum familia ſenſim

a) Tobiae c. 11. 13—15. b) Exc. Gemar. Sanhedr. p. 280. c) Niebuhr l. c. p. 130.

ſenſim circiter 150 annos ante Chriſtum enata, tandemque conatu ſecta inualuit, nomen habent á ſanando, empiricisque ſolent adſcribi. Licet Eſſeni, quibus ſemina prima Chaſidaei ſparſerunt, praecipue ſacris litteris et moribus puris ſe darent, ſe tamen etiam ad medicinae ſtudium applicauere, hinc certant grammatici, vtrum a cura corporis, an animae ita fuerint dicti. Philo ad animum cum primis refert. Ioſephus e contrario, qui tres annos cum iis vixit, teſtis eſt locuples, eos mirabile ſtudium collocaſſe in veterum ſcriptis peruolutandis, atque ex his ea maxime delegiſſe, quae animae ac corpori conducant; teſtatur, diligenter inueſtigaſſe et radices remediis afferendis idoneas, et lapidum, quibus medicinam morbis facerent, proprietates d). Eſſeni in Iudaea, et Therapeutae in Aegypto, communes magiſtros ab initio habuiſſe, poſt vero in diuerſa abiiſſe, ac duae vnius Iudaicae haereſis familiae, videntur. Eſſenorum, quorum ratio

d) Philo de vita contemplat. p. 688. Ioſeph. de Bell. Iud. lib. 2. c. 7. & 8. § 6.

ratio ab ipſis Iudaeis vix habita, nulla in nouo foedere ſit mentio, cum, a celebritate remoti, nec alios ad ſuum inſtitutum allicerent, nec Chriſtianorum circulos turbarent. Silentium iſtud ne mireris, ſiquidem multa ipſius Chriſti facta diuina litteris conſignari, ſtudio omiſſa ſunt e).

§ XXIII.

Imperiti erant Iudaeorum medici, praecipue ob magiam.

Innumerabilia ſunt, ex quibus conflari et cogi poſſit, omnes, qui medendi artem tum exercebant, non optimos, nec bene peritos, fuiſſe. Accedit, quod multorum morborum ne nomina quidem inuenta erant, et quod mulier quaedam, fluxione ſanguinis per duodecim annos fracta et afflicta, conſumtis in medicos omnibus ſuis facultatibus, a nullo reſtituta, potius aegrior facta medendo f). Non ſemper quidem in medico eſt, aeger vt releuetur, quippe malum nonnunquam docta arte plus valet, attamen Verpos,

e) Ioann. euangel. c. 20. 30. 31. c. 21. 25. f) Luc. 8. 43. Marc. 5. 26.

pos, neque in doctrina ſalutari, neque in vſu, magnos progreſſus feciſſe putem, maxime ex quo inualuerant magicae artes, et nimia ſuperſtitio. Haec ſtupendum illud monſtrum, cui lumen ademtum, Cabbalam, peperit, qua vel litterarum, vel vocum, ſiue ſcriptarum, ſiue pronuntiatarum, nominis praecipue diuini, ope, malos ſpiritus pelli, ſeu grauiores morbos emoueri, poſſe ſibi perſuadebant. Perſuaſiſſimum eſt Arabibus etiamnum, ſcientiam nominis diuini munire contra morſus ſerpentium, dare caecis poteſtatem cernendi, et claudis vtroque pede recto incedendi g). Gens Iudaica praeter modum, ſub templo ſecundo, artibus magicis, cantaminibus, et damnoſiſſima credulitate capiebatur, naturales cauſas morborum grauiorum ignorabat, hinc magia et adiuratio aucta. Sceuae pontificis filii ſeptem, quos Lucas adiuratores vocat circumforaneos, in expellendis et abigendis daemonibus exercitati, Aeaea carmina, Haemoniasque artes Epheſi profitebantur h).

§ XXIV.

g) Niebuhr l. c. p. 121. h) Actor. 19. 13. 14.

§ XXIV.

De magia et magis medicis.

Magia artium, ſi modo ars eſt, fraudulentiſſima, in toto terrarum orbe plurimis ſaeculis valuit. Nata eſt primum e medicina, ac ſpecie ſalutari irrepſit, velut altior, ſanctiorque, quam ipſa medicina, blandis promiſſis addidit vires religionis, miſcuit artes mathematicas, cum nullus non auidus ſit, futura de ſe ſciendi, eaque e caelo veriſſime peti credat. Ita, hominum ſenſibus hoc triplici vinculo captis, in tantum faſtigii adoleuit, vt hodieque in Oriente regum regibus imperet. Quamuis irrita et inanis eſt, et vaniſſimi cuiusque ludibrium, habet tamen quasdam veri vmbras, in quibus herbae et radices pollent i). Magi medici triplices ſunt, vel indagant occultas naturae proprietates, earumque effecta promouent, vel verbis et vocibus, caerimoniis, et notis ſcriptis, medendi vim tribuunt, vel ſe, aiunt, ſpiritus cuiusdam vti commercio, ex quo omnem medicandi rationem intelligant. Primum magiae

i) plinii lib. 30. c. 1. c. 2. Curtii lib. 7. c. 4. 8.

magiae genus natura nititur, atque huc pertinent amuleta, vel radiculae collo morbidorum appenſae, quarum ratio liquet; contra, quorundam amuletorum effecta non prorſus conſtant. Multa id genus ſunt in phyſicis, quae per aſſumtiones bene explicantur, vt magnes, collo pendulus, cohibet ſpasmum, et emplaſtris adhibitus valet ad ferrum ſagittae e vulneribus extrahendum, omnemque ſaburram inde eiectandam k). Quare aliqua habent vim, qua de collo pendentia, vbi corpore noſtro incaluerunt, quasdam exhalationes cuti noſtrae, vel ori, vel naribus, infundunt, eoque pacto proſunt infirmis l). De Arabum hodiernorum magia naturali, et de eorum amuletis ſalutaribus, Niebuhr dignus eſt, qui legatur m). Secundum magiae genus, quod mederi fertur per voces et carmina, per notas et ſuſurrus, medicinae nomine indignum eſt, etſi antiquis-

k) Voſſii T. 5. p. 704. Anſelm. Boet. de Boot hiſt. gemmar. et lapid. lib. 2. c. 253. p. 459. l) Voſſii T. 3. p. 245. m) Niebuhr l. c. p. 122 — 128.

quiſſimum ſit, et Homeri aetate, immo temporibus obtinuerit Troianis n). Tertium magiae medicae genus, quod cum ſpiritibus ſociis fieri putatur, plane nefarium eſt. Ergo magiam albam, ſeu theurgiam, quae coniunctione cum bonis geniis eſſe, et nigram, ſeu goëtiam, quae malorum daemonum conſpiratione fieri, dicitur, ſuis auctoribus vanis relinquamus o). Arabes commercio cum geniis permulta hodieque concedunt p). Tanta fuit ſuperioribus ſaeculis caecitas, vt Salamanticae et theurgia et goëtia publice docerentur q). Daemonum ope auxiliantes, vel ſola manuum agilitate, vel ingenioſo dolo, offucias faciunt, vel phantaſiam excitant auxiliantem, vel res agunt virium naturae gnari, quarum vero inſcii, ſola hominis opera, praeſtari poſſe negant. Multa vere non fiunt, quae fieri credas, viſui modo illuditur; multa fiunt, et ob haec etiam alia, quae non fiunt, fieri videntur.

§ XXV.

n) Plinii lib. 28. c. 1. o) Auguſtin. de ciuitat. Dei lib. 10. c. 9. Iamblich. de myſter. Aegypt. Moshem ad Origen. contra Celſ. p. 26. p) Niebuhr. l. c. p. 121. q) Georg. Raguſeius de diuinat. lib. 2. ep. 6.

§ XXV.

Iudaei erant magiae ſtudioſiſſimi.

Iudaei erant magiae ſtudioſiſſimi, praeter quos vix inueneris, quibus amuleta, carmina, inſuſurrandi, adiurandi et cantandi ſtudia magis in vſu et deliciis eſſent r). Amuleta erant vel radices, collo imbecilliorum appenſae, vel, quod frequentius, ſchedulae litteris quibusdam notatae, quae valetudinis incommoda auertere, aut curare credebantur. Elymas ille magus omni erat refertus fraude s), et Simon Samaritanus gente, aut Iudaeus, magiam in Aegypto didicerat, perſuaſeratque plebi, accepiſſe ſe a Deo facultatem malis geniis, a quibus humanum genus excruciaretur, imperitandi, ſeque cum ſcorto Helena veniſſe, vt miſeris opem contra daemones ferret t). Ioſephus, cuius aeuo Palaeſtina fallacium magorum plena erat, tribuit Salomoni artem contra malos daemones ad hominum curationem, tribuit carmina

r) Lightfoot ad Matth. c. 24. 24. s) Actor. 13. 8. 10.
t) Actor. 8. 9. Moshem inſtitut. hiſtor. chriſt. antiq. T. I. p. 123. 125.

mina contra morbos, tribuit etiam formas adiurandi, quibus vincta daemonia ita eiectentur, vt nunquam redeant. Hoc ſanationis genus, ita pergit Flauius, etiamnum apud nos plurimum valet, vidi enim ex popularibus meis quendam Eleazarum coram Veſpaſiano, et filiis eius, et tribunis, reliquisque militibus, daemoniis obſeſſos liberantem. Is nempe naſo daemoniaci admouit annulum, cuius palae vni radices, quas Salomo indicauerat, incluſae erant, paullo poſt naribus odorantis extraxit daemonem, quem, homine tum ſtatim collapſo, adiurauit, ne in hunc reuerteretur, Salomonis interim mentionem faciens, eiusque carmina, recitans. Porro daemoni imperabat, vt, homine egrediens, poculum aqua plenum, non longe inde collocatum, euertat, quod re vera factum u). O he iam ſatis eſt! Totam narrationem credat Iudaeus Apella. Cunaeus exiſtimat: Ioſephum, quo die haec ſcripſerit, aliquod purgamentum calcaſſe, et van Dale ſuſpicatur: Flauium haec, mente Chriſto eiusque lega-

u) Ioſeph. Antiq. Iud. lib. 8. c. 2. § 5.

legatis maligna, confinxiſſe, quod et placet Roquio v). Ego vero hominem illum valetudine difficili, ob vires radicum et materiem annuli, emerſiſſe reor; cetera vero, quae multitudinem concitant, ſenſibusque ſola fallacia blandiuntur, ſunt vana et fucoſa.

§ XXVI.

De magicis auxiliis Iudaeorum, aliorumque populorum.

Iudaei recitabant et canticum aliquod contra infauſtum occurſum, habebant verba et Theſſalas voces contra rabidum canem et contra daemona caecitatis, muſſabant etiam, et cantabant nomine Ieſu x). Magiae proprium eſt, verba ignota, quaſi iſtis magna vis ineſſet, demurmurare. Circe obſcurum carmen, verborum ambage nouorum, ter nouies magico demurmurat ore, et Medea, dum artibus ſuis Iaſoni animum inſpirat, carmina voluit, et figit, per totos Aeſonidae

 artus,

v) Cunaeus l. c. lib. 1. c. 12. van Dale de orig. et progreſſ. idololatr. p. 519. Roquius T. 2. Saurini commentar. in V. T. p. 1180. x) Lightfoot ad Matth. 24. 24.

artus, totumque per clipeum, ſepteno murmure fertur x). Sagam Pamphilen, in bubonem mutandam, fingit Apuleius multum cum lucerna ſecreto collocutam. De carminum vi canit Horatius, et Maro, Theocritum imitatus y), ſed Venuſinus, non infirmior, pungit et mordet Canidiam cum Sagana vlulantem z). Hippocrates, at quanti vir! aſſeuerat, magos ſuo aeuo claros fuiſſe hebetes et fraudulentos a). Dementia et ſtupor, anilis ſuperſtitio et fraudis ſtudium, cura peculii et pauperies compulerunt magos ad mentiendum b). Huic vanitati maxime ſtudebant Epheſii, quorum Diana, Tatiano teſte, maga erat, quippe eius in pedibus, zonaque et corona, litterae ſeu notae ſcriptae erant et intextae, quibus ſuperſtitioſi ad profligandos daemones, ad morbos tollendos, ad faſcina pellenda, aliaque effecta mira et feliciſſima vtebantur. Verbis hiſce ſacris, obſcuris, priſcis, non cohaerentibus, vete-

x) Ouid. Metam. lib. 14. vs. 57. 58. Valer. Flacc. Argonaut. lib. 7. 463 – 465. y) Horat. epod. 17. Virgil. eclog. 8. z) Horat. Serm. 1. 8. 25. a) Hippocrat. T. 2. p. 325. b) Lucian. in philopſeud.

veteratores multas alias addiderant notas, quas ſtolidi, vt in omni negotio victores euaderent, in pelliculis conſutis geſtabant c). Noui, qui hodie huiusmodi recula bardis imponunt. Iſti doli, machinae, fallaciae, praeſtigiaeque, aeuo Chriſti et eius legatorum, habebant quandam viriditatem d).

§ XXVII.

Fons ſuperſtitionis morbos carmine pellendi.

Multa huius moris, daemones certis ſonis, aliisque eiusmodi crepundiis, exterminandi, exempla collegerunt Keuchenius, Spencer et van Dale e), fontem vero huius ſolicitudinis dirae non aperuerunt, aperit autem Moshemius; nempe ſuperſtitioſi ritus naſcuntur ex certis vulgi opinionibus, hiſce, procedente tempore, deletis, earum effecta, ritus ſcilicet et conſuetudines, manent. Atqui perſuaſum erat antiquioribus barbaris genti-

 bus,

c) Plutarch. ſympoſ. lib. 7. quaeſt. 5. ad fin. Erasmi adag. p. 566. d) Matth. c. 7. 22. c. 12, 27. Luc. 9. 49. Act. 19. 13-19. e) Robert Keuchen obſeru. ad Seren. Sammonic. p. 54. Ant. Guil. Spencer ad Origenem contra Celſum p. 17. v. Dale de diuinat. idololat. ſub V. T. p. 508.

bus, potiſſimum in Oriente, eſſe homines aut natura, aut a numine ſupremo, facultate quadam inſtructos, daemones abigendi, eſſe certos ſonos, plerumque horridiores, vehementer gratos daemonibus, alios e contrario iisdem mirifice diſplicere, nec non quorundam vocabulorum pronuntiatione placari et allici, quorundam vero in fugam verti. Inde adiurandi, cantandi, et excantandi artes, ſimilesque natae ſunt ineptiae, nam, qui propitios ſibi eſſe cupiebant daemones, ex vocabulis, quae grata iis eſſe iudicabantur, carmen contexebant, qui vero eos a ſe et aliis propulſatum ibant, talia occinebant verba, quae terribilia iis eſſe didicerant. Igitur, qui morbos diuinis nominibus, verbisque barbaris, exturbari poſſe, monſtruoſe cogitabant, talia vel in gemmis inſculpta, vel chartis illita, aegrotorum collis iubebant alligari, quod de daemone, morbi auctore, ſpem bonam habebant, eum, audito vel viſo nomine odioſo et graui, ſtatim abiturum e).

§ XXVIII.

De medicis muſſantibus, et aſtrologis.

Iudaeis nonnunquam muſſitandi, geſticulandi,

e) Moshem ad Cudvvorth, p. 854.

di, et inſuſurrandi ſtudio, et aliis puerilibus, ineptisque actionibus, curationes fieri videbantur. Tales medici, occluſa bucca murmurantes, quorum multa exempla in vtroque Talmude exſtant, dicebantur muſſitare ſuper vulnus et morbum. Doctores eorum, quemuis iudicem magiae, magos vt queat iudicare, non rudem eſſe iubent, voluntque, pulcre calleat praeſtigias amoliri et naenias Marſas, edicunt, vt omnis magiſter percipiat ſcientiam medendi, et magiam, et aſtrologiam e). An aſtrologia, qua naturae et morbi conflictus ſecundum aſtrorum rationem obſeruantur, medico ſit neceſſaria, olim magna contentione eſt decertatum. Fugerint nondum ſaecula duo, cum Petrus Haſchardus praeciperet, vt vel tonſurae tempus magnopere attendatur, isque memorat Brugenſium ſenatus decretum, quo omnes tonſores ad Petri Bruhezii Almanachum ſeſe componant. Hoc edictum riſerat Franciſcus

 Rapar-

e) Maimonid. de idololatr. c. 11. et in Sanhedr. c. 2. Goodvvin Moſes et Aaron lib. 5. c. 5. § 2. Mos. Mikotzi in praecept. 97.

Rapardus, Brugenſis medicus f). Noſtrum non eſt, tantas dirimere lites. Aſtrologi non tam caeli rationem habebant, quam caelati argenti, aures alienas verbis diuitabant, vt domos ſuas auro locupletarent g). Interim nullo non tempore reperti, qui animos diſciplinis fallaciſſimis eruditos contumaciter repudiarent. Maimonides omni iure diuinantium et aſtrologorum vanitatem contemnit, ſpernitque cantantium ſtolidam linguam, quod verbis vtuntur nulli genti vſitatis, et nihil ſignificantibus, et hac ſtultitia eunt aliis perſuaſum, verba iſta prodeſſe.

§ XXIX.

De curatione ſerpentium morſus.

Idem Maimonides, qui inter Iudaeos primus deſiit nugari, reprehendit et ſubaccuſat, qui cantu Marſo, ſeu magicis verbis, ſcorpionum aut ſerpentium morſibus medelam ſtudent afferre; permittit, adhibeant parti cor-

f) Haſchard. in clipeo aſtrolog. Rapardus in flagello prognoſtic. g) Gellius lib. 14. 1. cfr. Rappolt. in Horatium p. 1170.

corporis laeſae iſtam cantilenam, vt animus in ea, licet nil iuuet, conquieſcat g). Sed ceteri magiſtri impunite garriunt, eſſe, qui carminibus, et herbis cura conquiſitis, animalia noxia, ad noxam vel inferendam, vel auertendam, congregare, angues venenatos ſiſtere, ſibi ſociare, conſtringere, vimque nocendi iis adimere valerent. Quin magi etiam licia torquebant, e quibus vincula nexa, hinc gentiles crepant vincla Deorum h), blaterant Pſyllos et Marſos, ob ingenitum virus, ſaeuo ſerpentum morſu non laeſos. Illud ingenitum virus, ſolam fiduciam, non aliquod odoratum, ſerpentibus exitiale, fuiſſe coniicio, licet hos multarum rerum odore fugari concedam. Marmaridae Pſylli ore, ſolaque manu impoſita, traxerunt venenum. Credo, non herbis operoſis, nec ſaliua, potius habilitate corporis, audaciaque vſu longo firmata, praeclarum ſibi hoc remedium comparaſſe, nam, Celſo teſte, venenum ſerpentis non guſtu, ſed in vulnere nocet, ideo colu-

g) Maimonid. de idololatr. c. 11. § 6. 10. 11. 13. h) Carpzou, apparat, antiquit, p. 544.

colubra tuto eſtur, cuius quidem ictus occidit. Ergo quisquis tale vulnus exſuxerit, ipſe tutus erit, hominemque praeſtabit tutum. Forſan etiam Pſylli, velut Hirpiae per ignem ambulaturae plantas quodam tingebant medicamento, remedia non adeo vulgaria a teneris edocti, quae alienigenas, lucri et admirationis cauſa, celarunt, vbi enim locorum angues abundant, iisdem quoque remedia veneni praeſentia tellus produxit i). Haſſelquiſtius memorat ruſticos praeſtigiatores, qui Cahirae anguibus venenum adimebant, qui viperas maxime venenatas et peſtiferas manibus contrectabant, cum iis ludebant, easque in ſinum abdebant. Serpentum captatores in Aegypto colubrum abſcondito artificio domant, eumque viuum, vegetum, dentibus magnis adhuc inſignem, nudis manibus ex ſacco protrahunt, tractant, tandemque necant. Id quod ſuis oculis pluries Cahirae vidit idem locuples teſtis k).

§ XXX.

i) Plinii lib. 28. c. 3. lib. 7. c 2. c. 1. lib. 21. c. 13. Celſus lib. 5. c. 26. c. 27. Lucan. 9. 612 – 616. 891. ſeq. Sueton. Auguſt. c. 17. k) Fridr. Haſſelquiſt. iter in Palaeſtinam p. 76. p. 365.

§ XXX.

Medici ſummo honore culti ſunt.

Licet non apprime docti fuerint Iudaeorum medici, honore tamen affecti ſunt ampliſſimo, perſonis eorum digno, nam medicus eſt animi conſolatio, eiusque artificium eſt difficillimum, quippe ſcit, quid homunciones intra praecordia ſua habeant. Valetudinis proſperitas, quam curant medentes, eſt pretioſiſſimum, aliisque omnibus in hac vita bonis antecellit, quare quod apud multitudinem et principes fauore valent et gratia, gratioſi dicuntur. Forſitan hoc cognomen ex Ariſtotele, in latinum conuerſo, ductum, qui hoc titulo dogmaticos, vſu et cognitione medentes, ab inuiſa empiricorum turba ſeparat, quique gratioſos et ſapientes opponit multis, ſeu circumforaneis. Hodieque in academiis collegia medicorum gratioſa ſalutantur. Gentis Ebraeae primores ſtudium hoc, cui operam aliquando ipſe Raphaël angelus nauaſſe traditur, non deſpexiſſe, colligo ex ſacri oraculi inciſis et membris k). Meden-

k) Ieſai. 3. 6. 7. Hoſe. 5. 13. Zachar. 11. 16. Tobiæ 6. 12. 3. 4. 6. 11. 4. 8. 14. 15.

dentes, quos extollebat ſcientia, regibus accepti, et proceribus admirationi erant l), inque ipſis ſynedriis locum occupabant. Qui in arte ſua multum verſatus, erat peritus, et qui extrema agentes haud deſerebat, eandemque pauperi et diuiti curam praeſtabat ſollertem, erat fidelis, cui magna merces promittitur. Honora medicum, erat iis in prouerbio, ante, quam eius indiges m). Hominem ſingulari prudentia vocitarunt medicum. In hoc optime quadrat adagium: afflicta eſt ciuitas, cuius medicus eſt podagroſus, ſeu cuius gubernator conſilio caret n). Perſae veteres etiam, prouerbii loco, ſapientiae conſultos, medicorum inſtar, eſſe dicebant o). Sirachi filius praecipit: medici ſuis praemiis afficiantur, additque, accipere hos a rege ſtipendium p). Quo circa honore et inſuper mercede ſat ſplendida ornati ſunt. At erant quoque horum oſores, nam Talmudici medicos inter operas numerare, et effari non erubeſcunt: optimum eorum ad gehennam; noli habitare in vrbe, cuius caput

l) Siracid. 38. 1 – 3. m) Maimonid. Iad. Chaſ. Sanhedr. c. 2. § 1. in Ioma. c. 8. § 5. in Sanhedr. c. 11. n) Vajikr. Rabb. Sect. 5. o) ap. Warner. p. 25. p) Siracid. 38. 1. 2.

caput eſt medicus q). Tum forma medentium admodum impolita et plane rudis fuit. Quaeuis ars non habet oſorem, niſi ignarum. Contra ſcienter ab aliis eſt dictum: ſanitatis auctorem eſſe Deum, Dei inſtrumentum eſſe naturam, ſed vtriusque miniſtrum eſſe medicum.

§ XXXI.

Dignitas medicinae a Deo arceſſenda.

Hac diſciplina, quae aegros ex praecipiti leuat, quid melius potuit inueniri? Ceterae artes praeſertim aliis proſunt, haec autem et aliis, et ipſi eius cultori inſeruit, nam in periculis verſantes materno gremio fouet, contra dolores mortiferos confligit, et caput defendere nititur, vbi nullae diuitiae, nullaque dignitas ſubuenire poſſunt r). Si ventri eſt bene, ſi lateri, pedibusque, nil maius addere poterunt diuitiae regales. Metrodorus perfecte putat beatum, cui corpus bene conſtitutum ſit, et exploratum, ſemper ita fore. Eſt ſane illa ars multis ſcientiis praeclarior, hinc ea ſummo numini, et Deo cuidam, adſcripta s). In Pyrrhi, lienoſos dextro pede preſſos curantis, maiore pedis vngue vim diuinam eſſe, et Veſpa- ſiano,

q) Schickardi ius reg. Ebr. p. 55. r) Quinctilian. declamat. 268. s) Siracid. 38. 2. Baſilii Quaeſt. 55. Auguſtin. de ciuitat. Dei lib. 3. 12. 37. Caſſiodor. variar. epiſtol. lib. 6. Quinctilian. l. c. p. 446.

ſiano, debilitatem manus cuiusdam, pede, caecitatemque ſputo, ſuperanti, numina fauere, exiſtimatum t). Reges Franco-Galliae, et Archiduces Auſtriae verbis et ſola manu, ſtrumis, et reges Angliae, vi quadam diuina, elephantiae mederi, regesque Hiſpaniae daemonia eiicere, tradunt rerum pronuntiatores. Deus, ſe medicum nominare, dignatur u). Seruator noſter, qui animi et corporis vulnera ſanat, ſoter et lumen dicitur, quae nomina medentibus olim, praecipue Aeſculapio et Apollini, impoſita fuere v). In Meſſiae, ſeu ſolis veri, radiis promittitur certa ſanatio, oppoſita falſae gentilium fidei de Apollinis, ſeu ſolis, conuenientia cum medica arte x). Chriſtus ſe medicum vocat, quo non niſi cubantes egent y). Decumana porta aperiretur, ſi omnes, a quibus ſua virtute morbos depulit, adducere mihi ſumerem, legatis quoque et diſcipulis ſuis dedit poteſtatem, quaelibet valetudinis incommoda pellendi, extraordinariam z).

DE

t) Plutarch. in Pyrrho. Tacitus hiſtor. lib 4. c. 81. Sueton. Veſpaſian. c. 7. Dio Caſſius lib. 6.6. u) Exod. 15. 26. c. 23. 25. Pſalm. 103. 3. v) Ieſai. c. 61. 1. c. 53. 4. 5. coll. Matth. 8. 17. Evvaldi emblemat. P. 3. p. 115. x) Malach. 4. 2. y) Matth. c. 9. 12. c. 27. 42. Luc. 4. 23. z) Marc. c. 6. 13. c. 16. 18. Luc. c. 9. 2. 6. c. 10. 9. 1 Cor. 12. 9.

DE

DAEMONE ET DAEMONIACIS.

P. II.

§ I.

Daemon et daemonion ſignificant Deum, Deos, Deas, mentemque humanam.

Daemon apud dubium Orpheum, apud Timaeum Locrum, et Callimachum, eſt Iupiter, ſummus Deorum a). Plato omnium gubernatorem nominat maximum daemona, et Herodotus in Thalia, ſi, inquit, daemon, ſeu Deus voluerit. Daemonion apud Ariſtotelem ſignificat Deum, aut Dei opus, et apud Xenophontem nonnunquam ſummum Deum, eamque diuinitatem

a) Orphei votum ad Muſaeum vs. 12. hymn 72. vs. 1. 2. Timaeus in Gale opuſc. p. 566. Fragm. Callimach. p. 372.

tatem, quam quaelibet ciuitas colit b). Daemonion cum Deum, tum res diuinas, declarare, patet ex Thucydide, et Xenophonte c). In Orphei, aut ſi mauis, Onomacriti, hymnis, Lucina, caelum, Dea natura, Pan, Neptunus, Typhon, Nereus, Terra, Dionyſius, Minerua, Apollo, Diana, Salii, Ceres, Sabazius, Lyſius Lenaeus, Adonis, Nemeſis, Mars, Leucothea, daemones ſalutantur d). Daemon et daemonion audiunt Deus et Dii, Mars, amor, Bacchus, Venus et Dea fortuna e).

Eu-

b) Pollux p. 4. Ariſtotel. rhetor. lib. 2. c. 23. Xenophon. de dict. et fact. Socratis p. 573. Iſocratis orat. ad Daemonic. p. 9. c) Thucydid lib. 2. c. 64. Xenophont. memorabil. lib. 1. p 561. lib. 4. p. 634. d) Orphei hymn. I. 1. III. 8. IX. 2. 20. X. 10. XVI. 8. XVII. 11. XXII. 3. XXV. 7. XXIX. 7. XXXI. 13. XXXIII. 5. XXXV. 8. XXXVII. 14. XXXIX. 1. XLVII. 1. XLIX. 2. LV. 1. LX. 9. LXIV. 1. LXXIII. 1. et in voto ad Muſæum vs. 31. e) Aelian. V. H. lib. 3. c. 9. lib. 6. c. 13. lib. 13. c. 24. lib. 3. c. 42. Euripid. in Bacchis vs. 497. coll. Horat. lib. 1. epiſt. 16. 78. Euſtath. ad Dionyſ. Perieget. vs. 508. Heſiod. op. et dies. vs. 125. Aelian. V. H. lib. 1. c. 30. lib. 2. c. 34. lib. 1. c. 20.

Eudaemon eſt felix, et poculum boni daemonis eſt fortunae, Bacchi, genii etiam cuiusque boni f). Homerus Hectorem titulo daemonis, ſeu fortunati et egregii viri, ornat, et Plato felicitatem verbis: bonum daemonem habere, definit. Deos compellare daemones, Homero placuit, quos iuxta aeſtimat vſus loquendi. Alii coniungere ſolent, vt, Deus nouerit, et daemonion g). Vlpianus tacite innuit, iſta nomina differre, quod philoſophi docebant, eſſe Deum, et Deos, hos excipere daemonia, heroasque claudere agmen h). Verum haec diſtinctio in vſu non conſtans fuit, nam Plato, quamquam daemones in Deorum numero minime collocet, hos tamen illa voce nonnunquam ſignat, quod et facit Plutarchus i). Dii ſunt daemones, id eſt, ſcientes futuri, aut, vt Poſidonius ſcribit, quia ex aethere

 par-

f) Eraſm. adagior. p. 212. 555. g) Homer. Iliad. lib. 17. 98. Pollux p. 4. Iliad. 1. 222. Demoſthen. de falſ. legation. h) Vlpian. ad Demoſth Olynth. 2. i) Plato in Timaeo. Proclus in theol. Platon. c. 25. Plutarch. de defect. oraculor.

parta ac diuiſa qualitas illis eſt k). Daemones, vtpote opum datores ſecundum Heſiodum, in ipſos Deos relati ſunt, vnde legimus apud Alexandrinos V. T. interpretes, omnes ceterarum nationum Deos daemones eſſe, a quibus magno discrimine Deum ſeparat Paullus l). Plerumque daemones ſunt naturae DIs dignitate ac gradu inferiores, miniſtri Deorum, et cuſtodes hominum, ad quos, latiore ſenſu, heroës quoque pertinent, tamen modo cum Diis miſcentur, modo ab iis ſeparantur, nam Plato amorem non Deum, ſed daemonem modo, eſſe, concludit m). Contra ea Athenienſes Socratem de nouis daemoniis, ſeu DIs, absque publico ſcito introductis, accuſant, Paullumque ſanctum, qui peregrinos daemones, ſeu Deos, ſine Areopagi auctoritate, iis nuntiare videbatur, ferre nolunt n). Titanes, quos Heſychius caeli filios, et Homerus Deos tartareos, interpretantur,

k) Macrob. Saturnal. lib. I. c. 23. l) Pſalm. 96. 5. I Cor. 10. 20. 21. m) Cudvvorth. ſyſt. intell. p. 301. n) Xenophon in apolog. Socratis p. 555. Laertius in Socrat. Actor. c. 17. 18.

tantur, exponunt Suidas et auctor Etymologici M. daemonibus ſubterraneis o). Ipſe Pluto dicitur daemonum maximus. Corybantes daemones ſunt miniſtri matris Deum p). Daemon, ſecundum Proclum, alius eſt eſſentia, vt Saturnus apud Orpheum, alius comparatione, ſicut Dii, a Platone ſic nuncupati, alius habitu, velut animus, qui pulcerrima, baſilica, daemonumque ſimilia facinora fecit. Qua ratione Socrates, in re publica Platonis, animos, vita bene transacta, daemones appellat; animum vero hominis in ipſo corpore fragili daemonem dicunt Proclus et Apuleius; vnde Virgilius canit: an ſua cuique Deus ſit dira cupido? ergo et bona cupido Deus eſt, inde eudaemonas dictos puto beatos, quorum daemon bonus, ſeu animus virtute perfectus q). Plato in Cratylo quemuis, ſcientia et virtute praeditum, et viuentem et mortuum, vocat daemo-

o) Homer. Iliad 14. vs. 179. p) Seruius ad Virgil. Aen. lib. 3. vs. 111. q) Apuleius de Deo Socratis p. 49. ſeq. Cenſorin. de die nat. c. 2. 3. Virgil. Aen. lib. 9. 185.

monem q). Daemonii, ſeu viri diuini, cognomentum adhaeſit Ariſtoteli, Platoni, Homero, aliis r). Daemonion Socratis eſt eius genius, et Antoninus affirmat, daemonem, ſiue Deum, ſiue genium cuiusque, eſſe mentem et rationem s).

§ II.

Daemonis nomine ſaepe notatur ſpiritus malus.

Daemon notat bonam et malam inter Deos et homines naturam, hoc praeterit neminem, qui vel vnum Platonem legit; at in noui foederis codice, ſi Origenem, Euſebium, Auguſtinum, multosque rei Chriſtianae doctores hodiernos, ſequare, ſemper ſignificat naturam malignam. Hoc autem temere dicitur, quippe daemones iſti noui, quos Paullus Athenis nuntiare ferebatur, ſunt boni, et daemonia illa, quorum in epiſtola ad Corinthios meminit, non ſunt ſimplici-

q) Apuleius l. c. Alex. ab Alexandr. lib. 6. c. 4. p. 437.
r) Auctor. allegoriar. Heſiod. Plutarch. de pueror. educat. s) Xenophon. memorabil. lib. 4. p. 645. Aelian V. H. lib. 8. c. 1. Antonin. lib. 3. § 6. § 12. § 16. lib. 5. § 10. § 27.

pliciter mala t). Iſtis vocibus Chriſtianorum primi, et ipſi fere gentiles, deteriorem indunt notionem, nam Plutarchus, vbi Deo daemonem opponit, hunc pingit peſſimum, et Chalcidius, ſaeculi quarti ſcriptor, voce daemonis in bonam et malam partem vſurus, ſe prius lectori purgat u). Auguſtinus, paganorum, inquit, nullus fere litteratus audet in laude vel ſeruo ſuo dicere: daemonem habes, etenim vnusquisque hoc non aliter, ac conuicium, acciperet; hinc Apuleius librum: de Deo Socratis, non de daemone Socratis, inſcripſit, maluit daemonem in ipſa commentatione, quam in titulo libelli ponere, cum omnes, vel paene omnes, nomen daemonum horreant v). Ego vero dubito haec dicere, ſiquidem, quod praetereundum mihi non eſt, ex contrario multa conferre poſſem in Auguſtinum; ſufficiant Iulianus, qui Platonem daemonii, ſeu diuini,

 laude

t) Actor. 17. 18. 1 Cor. 10. 20. u) Origenes cont. Celſ. lib. 5. p. 497. 807. 838. 844. edit. Moshem. Plutarch. in conuiuio 7. ſapient. p. 162. Chalcidius in Timaeum Platonis p. 329. v) Auguſtin. de ciuit. Dei lib. 9. c. 19. c. 14.

laude cohoneſtat, et Hierocles Alexandrinus philoſophus, Auguſtino aequalis, ſecundum quem improbis et ignaris non conuenit daemonum nomen, ſed ſolis virtute et ſapientia imbutis w). Taceo de Antonino.

§ III.

Daemon aperte indicat morbum.

Daemon etiam indicat morbum, praecipue grauiorem, quoniam hic a daemone malo immiſſus putabatur, certe Homerus et Sophoclis interpres ita intellexerunt x). Hoc fugit neminem, niſi Graeciae prorſus ignarum. Peſtilentes morbi, et mortes ſponte accidentes, Apollini ac Dianae ſolebant imputari y). Daemone obſeſſos et vexatos eſſe mentem concuſſos, furore correptos, ſiue agitatos bile atra, id planum faciunt Iſocrates, Heliodorus, Lucianus, Plutarchus, Galenus et Xenophon z). Ariſtopha-

vv) Iulian. aduerſ. Cynic orat. 6. p. 188. Hierocles in aurea carmina p. 39. x) Homer. Odyſſ. ε. 395—397. Scholiaſt. Sophocl. in Aiace vs. 277. y) Strabo lib. 14. p 942. z) Iſocrat. orat. Areopag. p. 301. Heliodor. lib. 4. c. 10. p. 178. 179. Lucian. philo-

phanes inſaniam cum cacodaemonia, ſeu extremo furore, coniungit a). Chaldaei vetuſtiſſimi iam opinati ſunt, daemones irrepere in ilia, creare furorem, et morbum ſacrum b). Varia ſunt veſanorum genera, pro cauſarum, quae producere videbantur, varietate, nam Cerriti, a Cereris ira, laruati a laruis incurſantibus, lymphati ab imagine Nymphae in fonte viſa, lunatici a luna creſcente, furioſi a Furiarum agitatione, dicti ſunt. Porphyrius conſulit abacturo daemones, ſuſtentet corpus tenui et duro victu, fame iſtos compellat ad emigrandum, caelibem agat vitam, a daemonum inſidiis tutiorem c). Clementinorum, circa ſaeculi tertii exordium ſcriptorum, auctor, ex Iudaeo Alexandrino Chriſtianus, ſcriptitat, daemones

E 5

Philopſeud. p. 337. Plutarch. ſympoſ. quaeſt. 5. p. 217. Galeni fragm. § 5. Viues ad Auguſtin. de ciuitat. Dei lib. 8. c. 14. Xenophon. memorabil. lib. 1. init. p. 560. a) Ariſtophan. Plut. Act. 2. Sc. 3. vs. 30. 32. 38. 53. et Sc. 4. vs. 2. Sc. 5. 15. coll. Ioannis euangel. 10. 20. b) Stanlei hiſt. philoſ. lib. 15. c. 16. c) Porphyr. de abſtin. lib. 2. p. 204. 417. 418.

nes fuiſſe ſuaſores et impulſores carnis edendae, iſtosque ſpiritus geſtire, in hominum corpora intrare, cibos appetere ac libidinem, ob defectum autem membrorum, cibaria per dentes hominis, et libidinem, per partes huius genitales, capere, vnde ieiunium et afflictationem ad illos fugandos auxilium eſſe aptiſſimum d). Ieiunia ſcilicet releuant aeſtum morbi, et nutriunt ſanitatem. Peſtes et morbos in genera Deorum deſcriptos fuiſſe, teſtatur Plinius e). Vegetius ſuffimenta, et Apuleius herbas, Artemiſiam et Ariſtolochiam, commendat, quibus iumentorum daemones fugentur f). Daemones illi, qui homines et iumenta infeſtabant, nil niſi morbi fuere, quorum cauſas et remedia ignorabat rudis antiquitas, vim autem et effectum videbat. Coelius Aurelianus aegrotos paſſim dicit obſeſſos, et poëtae morbis in ipſo tartaro habitacula aſſignant g). Nulli

dubi-

d) Clementinor. homil. 8. p 684. homil. 9. p. 688.
e) Plinius lib. 2. c. 7. f) Veget. Mulomedic. I. 20. 3. & 4. 12. I. Apulejus de virtut. herbar. c. 10.
g) Aurelian. de morb. chron. I. 4. Virgil. Aen. 6. 275. Senecæ Oedip. vs. 593.

dubitant plerique veterum, maxime Pythagoras et Plato, quin morbos excitent daemones mali; quod multitudinis placitum perſtringit Hippocrates h). Antiquos, ad Deorum iram omnes morbos retuliſſe, dudum monuit Celſus. Ex hac vulgari perſuaſione fluxit eorum ſuperſtitio, qui diuinos honores elementis, morbis, et animi affectionibus, decreuerunt, nam his cunctis ineſſe ſpiritus, qui iſtis, ſi libitum fuerit, ad commoda aut perniciem mortalium abuti poſſent, opinabantur i). Opinionum commenta delet dies.

§ IV.

De ortu et natura daemonum.

Prudens praetereo, quae de ortu daemonum ex Lilith, Naome, aliisque ſexcentis, perhibent Menaſſe, Elieſer, ceterique Iudaeorum doctores, qui hac opinione nondum contenti, fabulas aniles, figmenta lepida et male

h) Porphyr. de abſtin. p. 85. Hippocrat. de morb. virgin. & de morb. ſacro. i) Chalcidius in Timæum Platonis c. 119. c. 134. Moshem ad Cudvvorth. p. 618.

male ſana, quibus animos permulcere ſtudent, annectunt, fiducia, neſcio qua, mendaciis ſuis inuicem credunt. Clementinorum auctor, daemones ex angelorum cum feminis conſuetudine natos, tradit k). Caeſar Bulenger dat riſus, iocosque, dum perſuadere cupit, loquela ſtatuarum nil poſſe fingi efficacius ad probandum, daemones eſſe l). Feſtiue et breuiter. Idolorum cultores, qui Deum ſummum, tanquam regem Orientis, ſpiritibus, quaſi adminiſtris in regenda rerum vniuerſitate, egentem, more humano concipiebant, caelum ſupremum, vt nobiliſſimam partem, Deo, caelum inferius, ſiue ſolem, lunam et ſtellas, Diis, terram hominibus, aërem medium, ne ſit ſine incolis, daemonibus habitatum aſſignabant. Populis antiquioribus, Aegyptiis praecipue et Chaldaeis, perſuaſum erat, tales daemones eſſe, quosue nonnunquam ad homines legaret numen ſupremum. Cuiuis rei, vel minutiſſimae, herbis etiam, arboribus, animantiumque generi

certa

k) Homil. 8 p. 683. l) Bulenger de pictur, & ſtatuar, lib. 1. c. 21.

certa numina praeſidebant, etenim ſcientia naturalis horum populorum nil, niſi doctrina, erat de variis daemonum virtutibus. Vnum corpus humanum triginta ſex daemonibus, particulis quaſi ex anima mundi decerptis, curandum tradunt Aegyptii m). Plato, qui, Deum inuenire, negotium credidit, daemonas ſine negotio narrat, quibus, inter Deos ac homines mediis, mundum inter ſe deuincit, quippe Deus, vt ille iudicat, nullum cum humano genere vili commercium habere poteſt, vſus enim quotidianus parit familiaritatem, familiaritas contemtum, hinc debent eſſe legati, et interpretes, qui Diis preces et ſacrificia hominum, hominibus autem Deorum imperia, ſuppetias, admonitiones et praemia referant n). Plutarchus mendoſe argumentatur, multa, ſublatis daemonibus, nullo pacto explanari poſſe, quo refert

m) Moshem. ad Cudvvorth. p. 254. 854. Origenes contra Celſ. lib. 8. 416. Brucker hiſt. philoſ. T. 1. p. 133. 134. 288. n) Apuleius de Deo Socratis p. 45. 23. Plato in Epinom. p. 46. et in conuiuio. Plutarch. de defect. oraculor. & de Iſide & Oſir. p. 361. Porphyr. de abſtin. lib. 2.

refert diuinationem, faſcina, vexationes corporum, aegritudines, beluarum naturam, et poteſtatis improbae ſigna, quae omnia nec in Deum optimum, nec in ſpiritus bonos, cadere poſſint, quaeque vires humanas ſuperent o). Max. Tyrius acute colligit: Deus mori et pati nequit, contra homo eſt mortalis et patibilis, ergo, vt aliqua inter hos intercedat communio, ſit oportet natura media, cum vtrisque aliquid commune habens, immortale cum Deo, et patibile cum homine. Idem credit, animas poſt mortem fieri daemones, ſed eius praeceptor, Plato in Epinomide, hos cum toto mundo creatos ab animabus longe ſeparat, nam ſi animae a corpore ſeiunctae in daemones transferantur, tum nulli ante proborum diſceſſum e vita fuiſſent daemones, nec non aër aliquamdiu ſuis animantibus, et bona pars hominum ſuis cuſtodibus, caruiſſet, cum tamen ille daemones nobis ita praeficit, ſicut nos capris et bobus non capras et boues praeficimus, verum homines, genus aliud et melius.

o) Plutarch. de defect. oraculor. & de Iſid. p. 380.

lius p). Idem philoſophus Tyrius daemonum immortalitatem, quae Plutarcho dubia res eſt, eo euincit, quod anima corpus, dum huic iuncta, a corruptione tutum praeſtet, adeoque eius natura ſit incorrupta. Proclus, ne daemonum vitam cum Diis adaequet, gradus immortalitatis illorum conſtituit. Barbari, et vetuſtiſſimi Graeci, non plus inter genium et hominem differentiae voluerunt intereſſe, quam inter corpus leue et craſſum, quia vero corporeum poteſt diſſolui, igitur multi cenſuerunt, daemones tandem mori poſſe. Licet Platonici longe ſubtilius de geniis hiſce, tanquam ipſius diuinae naturae particulis, differerent, tamen non omnes antiquam illam opinionem aſpernati ſunt, quippe popularia dogmata reuerebantur; quare eorum quidam, nec omnes daemones mori, nec tamen omnes immortales eſſe, docebant q). Antiquorum plurimis

p) Max. Tyrius diſſert. 27. Plato de legibus lib. 4.
q) Max. Tyrius l. c. Plutarch. de defect. oracul or. Proclus in theol. Platon. c. 25. Plato in Epinom. Moshem ad Cudvvorth p. 1154.

rimis perſuaſum erat, daemones aut omnes, aut plurimos, eſſe animas virorum praeclarorum corpore ſolutas, aëre ſeptas, cuſtodes mortalium, obſeruantes iuſta et praua r). Apuleius daemones definit eſſe animalia ratione praedita, humanis obnoxia perturbationibus, corpore aëria, tempore aeterna s). Adſtruunt Platonici, daemones pati, malum odiſſe, ira incitari, miſericordia flecti, donis allici, precibus leniri, honoribus mulceri, contumelia fieri aſperos, hocque ipſo a Diis differre. Mirum, quam inter ſe diſcrepent, qui ſunt eiusdem haereſis, alia ſentit Apuleius, quam Plato, alia Plotinus, quam Apuleius, alia longe Porphyrius, nec cum Iamblicho, aut quoquam alio, concordat Proclus. Philo, etiam Platonicus, non differre, ait, hos daemones angelis Iudaeorum, ſed multum intereſt inter daemones Philonis et naturas, quas Moſes angelos dicit t).

§ V.

r) Moshem. l. c. 731. 1080. Heſiod. oper. et dier. vs. 122. s) Apuleius de Deo Socratis p. 49. t) Philo de ſomniis p. 586.

§ V.

De loco et corpore daemonum.

Platonici hos daemones non ſolum ex natura, verum etiam ex loco, iis aſſignato, deducunt, quippe ſtatio horum et ſedes eſt aër, vt nimirum Dii in ſtellis cum hominibus commercium poſſint habere. Ne autem vlla regio, vt canit Sulmonenſis, foret ſuis animantibus orba, praeter aërem, terra etiam et tartarus, vel inferi, daemonibus aſſignantur. Daemones aërios, terreſtres, aqueos, et inferos, canit Orpheus in voto ad Muſaeum, a quo non abludit Chalcidius. Ipſa Furia Erinnys, quam Heſychius et auctor Etymologici M. daemonem dicunt infernum, apud Homerum et Heſychium aërem diſcurrit u). Heſiodus commemorat daemones, aëre veſtitos, paſſim oberrantes in terra v). Hoſtanes etiam daemonas prodidit terrenos et vagos w). Terreni daemones apud Hieroclem, Pytha-

u) Homer. Iliad. 9. 367. lib. 19. 87. coll. Ephes. 2. 2.
v) Heſiod. oper. & dier. 125. vv) Minucius Felix c. 26. 10.

Pythagoreorum interpretem, ſunt hominum mortuorum, virtute et ſcientia clarorum, animi, quos exinde ſegregat ab iis, qui natura daemones ſunt; terreni nempe in terris poſſunt verſari, terrenaque corpora ſubire, natura homines, habitu daemones. Subſtantiales poteſtates apud Ammianum haud dubie ſunt daemones, qui ſoli conſiſtunt, ac libere vagantur, nec cuidam terrae parti, tanquam Caucaſo, alligati, contra, qui terrae et fontibus ineſſe exiſtimabantur, poteſtates ſunt non ſubſtantiales, quia non propriam habebant ſubſtantiam, verum quaſi alienam x). Tartara ſeu inferi ſaepe notant habitabilem daemonum regionem. Ipſum Chriſtum rogant daemones, ne ante tempus in profundum protrudat y). Corpora daemonum ex liquido aëris puriſſimo concreta eſſe, oculosque noſtros non ferire, docuit Oriens et Graecia z). Ipſe Origenes, etiam Platonicus, angelis dat corpora inſtar aurae,

x) Hierocles in aur. carm. p. 39. Ammian. Marcell. lib. 21. c. 1. y) Virgil. Aen. lib. 6. Luc. 8. 31. Matth. 8. 29. z) Moshem ad Cudvvorth p. 1154.

rae. Hoc enuntiatum eſt ſine firmitate aſſenſionis.

§ VI.

Daemones et heroës inter ſe diſtant.

Deos caeleſtes excipiunt daemones, hos ſequuntur heroës, ſemidei, ſeu medioxumi, partim DIs, partim hominibus generati, ob eximias belli pacisque artes, in Diuorum coetum, a morte aſciti a). Thales, Pythagoras, Plato et Stoici docebant, daemones ſpiritus eſſe, heroës autem animas corpore ſolutas b). Thales et Plato Deos, daemones, et heroës, ſuo quosque loco collocant c). Poſidonius ſcripſit de daemonibus et heroibus libros, ergo ſecreuit d). Heroës, qui vel a facundia, vel virtute, vel ab amore, quo geniti, vel quo ipſi pleni ſunt, vel ab Hera Iunone, vel, quod nobis placet, ab Hera terra, matre hominum primorum, nomi-

a) Alex. ab Alexandr. p. 440. Heins. ad Heſiod. op. & dies vs. 125. Lucian. dialog. mortuor. p. 267. b) Plutarch. de placit. philoſoph. c. 8. c) Athenagor. apolog. Plato de legib. lib. 4. d) Macrob. Saturnal. lib. 1. c. 23.

minati, ſemidei quidem ſunt, attamen ab homine plus habent e). Saeculi aurei homines facti ſunt daemones boni in terra, aëre veſtiti, obſeruantes bonas et malas mortalium actiones, opumque datores ſunt, ſeu fructuum telluris; homines argentei ſaecli in manes, vel ſpiritus felices et mortales ſub terra, mutati; homines ferrei aeui in tartara deſcendiſſe, denique heroum genus inſulas beatas, vel campos Elyſios, ad extremum orbem ſitos, habitaſſe feruntur f). Lucanus heroibus aetherem imum, vel aërem inter terras et lunae meatus, et Capella medium aërem, vsque ad terrae montium confinia, ſedem aſſignat g). Aliter Deo cuidam, aliter daemoni, aliter heroi, ſacra fiebant h). Poculum etiam, quod in honorem heroum bibebatur, eſt aliud, quam poculum boni daemonis,

e) Plato in Cratylo. Auguſtin. de ciuit. Dei lib. 10. c. 21. Capella p. 40. Seruius ad Virgil. Eclog. 4. 35. & ad Aen. 1. 200. Didym. ad Homer. Iliad. 1. 4. f) Heſiod. l. c. vs. 167 – 173. Heins. ad eund. p. 216. g) Lucan. 9. 6. 7. Martian. l. c. h) Iamblich. de vit. Pythagor. lib. 1. c. 21. §. 11. c. 28. c. 6. Cuper obſeruat. p. 829.

monis, ſeu Bacchi, vini repertoris i). Heroës, quod humana in iis natura praeualebat, erant minima dignitate, ergo viui homines, virtutis exempla, heroës, feminae etiam, communem humanitatis ſortem, forma vel moribus, ſupergreſſae, heroides dicuntur k). Interim illud diſcrimen ſaepe obſcurum eſt, nam daemonibus tribuitur non raro natura heroum, et hi ad daemones et ad ipſos, in ſtellis habitantes, Deos, poterant euehi l).

§ VII.

De geniis ſingulorum.

Barbari, potiſſimum Aegyptii et Chaldaei, ducebant, in corpore viri, potentia, virtute, aut ingenio excellentis, genium incluſum eſſe, corpore poſt mortem relicto, ad ſuum quidem ordinem reuerti, populares tamen olim ſuos curare; hinc ſacra regibus, aliisque, facta, qui ſi fuerant benefici, e meliorum daemonum, ſin crudeles, ex deterio-

i) Küſter ad Suidam in bon. dæmon. Athenæus p 692. 675. k) Seruius l. c. Iamblich. l. c. c. 8. l) Aelian. V. H. lib. 3. c. 18.

riorum claſſe videbantur m). Philoſophi, praecipue Stoici, docebant, mundum hunc, quia animal non animato praeſtantius, animal eſſe mente praeditum, ſtellas eſſe oculos, ſolem cor, terram ventriculum, mare veſicam, Deum eſſe mundi huius animum talem, qualis genius cuiusque eſt, mundumque hunc ex animo et corpore conſtantem, ab animo tantum, non a corpore, Deum dici n). Cum igitur animalis quaedam intelligentia omnia permearet, effectum, vt cuique homini particula huius diuinae aurae, ſeu daemon peculiaris, datus ſit, hinc ſinguli ex ſemet ipſis totidem Deos faciebant, viri genios ſibi adoptabant, feminae Iunones o). Hos genios, vna geni nobiscum, nos gigni curare, genitos ſuſcipere atque tueri, antiquitas narrat, vnde Cebes genium ſenem depingit, mox ianuae adſtantem, qui, potiſſimum die natali, mero, ture,

m) Moshem. ad Cudvvorth p. 254. 854. n) Auguſtin. l. c. lib. 7. c. 13. c. 6. Plato in Timaeo. Laertius in Zenoue. Virgil. Aen. lib. 6. 724. ſeq. Plutarch. de fac. in orbe lunae. o) Plinius 2. 7. Senec. ep. 3. & 110.

ture, floribus, ſertis, choreis, porco bimeſtri, et agno, cultus eſt p). Genium hunc vocat Deum natalem Tibullus, Deum naturae humanae Flaccus, Deum de plebe et notae inferioris, et ſacrum intra nos ſpiritum, cuſtodem et paedagogum Seneca, Deorum filium et hominum parentem Auſuſtius, praeſtitem et angelum Martianus Capella, cuſtodem Apuleius, praeſtitem et ducem Antoninus, miniſtrum Deorum Plutarchus, exploratorem Arrianus q). Pauſanias tradit, ex Ioue ſomniante, et terra, genium Agdiſten ambiguo ſexu in lucem prodiiſſe r). Plato ex daemonum genere ſublimi animis, in hanc vitam prodeuntibus, contribuit aliquem, qui actiones inſpiciat, cogitationes exploret, corpore ſolutis aſſiſtat, ad iudicem raptet, ſingula teſtimonio approbet, vel diluat; quod ex Platonis fanatici Phaedone repetit

p) Cebet. tabula p. 168. Wonna de geniis p. 143–148.
q) Tibull. 4. 5. Horat. epiſt. 2. 2. 188. Senec. ep. 110. 41. Feſtus in genius. Capella de nupt. Mercur. lib. 2. Apuleius de Deo Socratis. Antonin. lib. 3. 19. Plutarch. de def. oraculor. Arrian. in Epictet. 1. 14. r) Pauſan. lib. 7.

petit Proclus. Ipſi Ioui, Iunoni, et Plutoni, tribuuntur genii, qui licet Dii non ſint, attamen nonnunquam Deorum, quibus adiuncti, et a quibus vim ac honorem adepti, nominibus appellantur. Homines iurabant etiam per Iouis et Iunonis genium, et ſerui per genium heri, ancillae per Iunonem dominae. Caligula multos punit, quod nunquam per genium ſuum deieraſſent, nam fuit tum tutius per Deos, quam per genium Caeſaris, peierare, quippe per genium principis perierans, fuſtibus, militum more, caeſus eſt s). Homerus heroibus ſuis adiungit daemones, quos, ceu vitae rectores in lucem editis ſtatim ſociant Menander, Theocritus in Pharmaceutria, et Ammianus t). Socrates, qui daemonio ſuo ſemper paruit, nunquam impellenti, ſaepe reuocanti, non explanauit, quis ille daemon celeber eſſet, nec auſus Simmias, qui de eo magiſtrum, ſine reſponſo accepto, interrogauerat, interroga-

tionem

s) Wonna l. c. p. 149. Sueton. Caligul. c. 27. t) Cicero de natur. Deor. lib. 2. c. 66. Alex. ab Alexandr. lib. 6. c. 4. p. 437. Menander. p. 260. Ammian. lib. 21. c. 14.

tionem repetere. Licet ipſi Socratici in hoc a ſe diſſentiant, tamen, praeter naturalem Socratis perſpicaciam, vſu multo auctam, facultatem ptaeſentiendi et diuinandi eximiam fuiſſe, coniecto u). Multa de his geniis, quorum immortalium numerum, in terra eſſe ter decies mille, definit Heſiodus, narrat Porphyrius, quocum diſputat eius diſcipulus, Iamblichus v). Aegyptii, inter quatuor Deos praeſtites hominis naſcentis, memorant daemonem ſiue ſolem, fortunam, ſiue lunam, amorem et neceſſitatem w). Plato et Iamblichus vni homini vnum dant genium, et Max. Tyrius et Stoici ſolis probis hominibus vnum tribuunt, in tenebris etiam, vt hortatur Epictetus, verendum; ſed alii cuiuis duo, bonum ſeu larem, malum ſeu laruam, apponunt. Lar, ſecundum quosdam, eſt ratio, ad meliora hortans, larua eſt libido, ſequens deteriora x). Phocylides

 iam

u) Brucker l. c. T. 1. p. 549. v) Heſiod. op. & dier. vs. 252. Arrian. in Epictet. lib. 2. c. 29. Auguſtin. l. c. lib. 10. c. 11. w) Macrob. Saturnal. 1. 19. x) Auguſtin. l. c. Max. Tyr. diſſ. 26. Senec. epiſt. 41. 32. Epictet. p. 64. Apuleius de Deo Socratis p. 78. Capell. lib. 2. p 40.

iam cuiuis nato indit bonum et malum genium y). Flaccus canit etiam genium comitem album et atrum, ſeu felicem et infelicem, nam albus color erat caeleſtium, adeoque fauſtus, ater contra erat funeſtus, et dirus, vtpote lemurum proprius, inde homines, vel eudaemones, vel cacodaemones, dicti z). Seruius Virgilio illud aſſentitur, naſcentem duo ſortiri genios, hortantem ad bona, et deprauantem; id ipſum voluit Euclides Socraticus et Lucilius; eiusque perſuaſionis princeps Empedocles fertur a). Bonus genius Traianum ex Antiochia, terrae motu conquaſſata, eripuit, ſiniſter contra ea, vel alter, vel malus, Bruto et Caſſio Parmenſi viſus, omen mortis erat b). Opinione hac corrupti ſentiebant, genium genio eſſe valentiorem, hunc metuere illum, vt Antonii genius metuit genium Auguſti; puta-

y) Clement. Alexandr. Strom. 5. z) Horat. lib. 2. epiſt. 2. 187 – 189. a) Seruius ad Virgil. Aen. 6. 743. Cenſorin. de die nat. c. 3. p. 11. Plutarch. de animi tranquill. p. 474. b) Plutarch in Cæſare; Flori lib. 4. c. 7. Valer. Max. lib. 1. c. 7.

putabant, animam interdum a corporis compagibus genium laxare, vt circumcurſet, foriſque audita ac viſa intro annuntiet; credebant, genium, propinqua morte, hominem linquere, vt deſeruit Conſtantium, et poſt mortem cum alio genio poſſe communicari, velut Lyſidis Pythagorei genius communicatus fuit cum Epaminonda c). Poſt ipſe hic genius, religioſe cultus, mire iuuare ſomniis et ſignis, mala auertere, bona augere, humilia ſurrigere, nutantia fulcire, obſcura illuſtrare, inque locum beatum reſtituere, Platonicis videbatur.

Praeter genios regionum, vrbium, locorum, domuum, agrorum, montium, arborum, ſtatuarum, fontium, fluuiorum, et ignium, erat etiam genus daemonum auguſtius, a corporum vinculis et compedibus ſemper liberum, corporum amore nunquam tactum, nec idcirco in ea deſcendens. O he! iam manibus ad caelum ſublatis, dixerim. Errorum aeſtus abſorbet etiam philoſophorum Homeros.

Iudaei

c) Plutarch. in Antonio, & de Romanor. fortuna & de genio Socratis. Ammian. lib. 21. c. 15.

Iudaei, qui etiam viris ſanctis bonum, ceteris hominibus bonum et malum daemonem, donant, cenſent, virum cum Iacobo luctantem fuiſſe genium Eſaui d). Multi veterum Chriſtianorum cuilibet ſuum dant tutanum. Iam, qui in Mariae aedibus erant, reſpondent Rhodae, Petri angelum adeſſe, et diſcipuli Chriſti, cum Ieſus in eorum medio ſtaret, ſe ſpiritum cernere exiſtimarunt. Viſum, quod noctu Paullo occurrit, interpretatur non nemo genium, Macedoniae tutelam e).

§ VIII.

De daemonibus bonis, praecipue de malis, eorumque cultu.

Plutarchus diſtinguit daemones virtutis et malitiae, hos Pindarus et Euripides per figuram, qua durum dictu gratius profertur, vocant alteros. Aegyptii ad bonos genios deſi-

d) Wonna l. c. p. 125 – 133. Eiſenmenger entd. Iud. P. 2. c. 7. 376. Geneſ. 32. 24. e) Act. 12. 15. Luc. 24. 37. Act. 16. 9.

deſignandos adhibebant ſerpentes. Homines cum alia appetant, alia vero, vt ſibi inimica, auerſentur, euenit, vt et bonis et malis rebus numina adiungerent, nam fanum, pietati dicatum, ſpectauit Deum, pietatis auctorem, et febris conſecratio placare voluit febris depulſorem. Typhon Aegyptiorum vel eſt anima quaedam, mali cauſa, vel ſpiritus quidam malignus, quem forte a Perſis, irruptione horum in Aegyptum facta, acceperunt. Omne nocens in natura conſiderauit Aegyptus velut membrum Typhonis, vel eius effectum, cui, Dei hominumque oſori, corpora quaedam in mundo, eorumque euenta triſtiora, puta, morbos ſubſtituit f).

Daemones, qui diris liberant, ſunt malorum depulſores, et auerſores, qui autem mala inferunt, exitiales, peſtiferi, malitioſi et hominum occiſores g). Antiphon memorat daemonem, vindicem hominis caeſi, et

f) Spanhem. de vſu & praeſtant. numism. p. 188. Iablonski Panth. Aegypt. P. 3. p. 40. 66. 69. 75 – 77. g) *Pollux* p. 546.

et affricantem aliis iram daemonum malorum h). Daemones Cobalos, ſeu immites, luſu aſſimulato fallere, meminit Philochorus, ſcribunt Harpocration, et Porphyrius i). Empedoclem nouiſſe, daemones a Deo fugatos, ſignificat Plutarchus k). Platonici pingunt Hyperboreorum daemones, malos, et Iudaeorum aſtrologi Martios ſeu noxios in ſeptentrionibus, Iouios autem ſeu propitios daemones in meridie locant. Iamblichus, qui, imaginum fictores a daemonibus malis ſaepe falli, perhibet, apponit trygodaemones apud Ariſtophanem, ſeu poëtas, faciem faece litos, probriſque violantes. Quidam, potiſſimum Platonici, defendunt, Deos vti malis geniis, vice carnificum, in puniendis hominibus flagitioſis, terrenoſque daemones eſſe tantum intentos nocendi ſtudio, horrendiſque modis torquendi, eſſe humanitati inimicos, turbare vitam, inquietare, irrepere in corpora occulte, fingere morbos, diſtorquere membra, terrere mentes, vt

ad

h) Antiphon orat. II. i) Rhodigin. lection. antiq. p. 54—78. k) Plutarch. de foenore.

ad ſui cultum cogant, et vt nidore altarium, vel pecudum hoſtiis, ſaginati, remiſſis, quae conſtrinxerant, curaſſe videantur l). Cacodaemones aere pulſato pelli, exiſtimatum, ne animam mortui in tartara auferrent m). Plato in Epinomide ſtatuit daemones aërios eſſe, et internuntios, a ſummo Deo rebus humanis praefectos, ſucceſſuum cauſa proſperorum, precibus colendos, hinc cultus eorum pius ortum duxit, et mali quoque ſpiritus, ne noceant, ſe oggeſſerunt. Porphyrius teſtis eſt, ſpiritus, DIs oppoſitos, omnem maleficam artem conflare et perficere, iisque philtra, opum ſpem et gloriae, et mendacia, propria eſſe, Aegyptiosque ſacerdotes non dubitare de hoc genere fraudulentiae pleno, multiformi, mala et bona immittente opinata, pleno faſtus, impediente virtutis ſtudioſos, gaudente victimis. Quo circa,

l) Clem. Alexandrin. l. c. Strom. p. 444. Plutarch. de oraculor. defect. p. 458. Minuc. c. 26. c. 27. Auguſtin. c. 9. 3. Spencer. de legib. Ebræor. p. 603.
m) Scholiaſt. Theocrit. ad Idyll. 2. vs. 36. Macrob. Saturnal. 5. 19. Virg. Aen. 6. 540.

circa annectit idem diſcipulus Plotini, et Iamblichus, omnes, qui praua moliuntur, malos ſpiritus, quaſi Deos, eorumque praeſidem, quaſi Deum, in primis reuereri n). Malos ſpiritus fuiſſe adoratos, probant ludi ſpurcitiae pleni, hominumque ſanguis, in illorum honorem effuſus, demonſtrantque pueri Maniae, larum matri, compitaliciis diebus pro familiarum ſalute mactati; quod ſacrificium Iun. Brutus aliter conſtituit celebrandum o). Faunum, quem Porphyrion inferum et peſtilentem Deum appellat, noxium fuiſſe, ex Plinio, et Flacco perlucet p). Graeci cacodaemonas, Latini Veioues, Perſae Arimanium, ſeu materiam, Sataniani Satanam, vt deſinant nocere, venerati ſunt. Mexicani daemoni ſupplicant, ne inferat damnum, et Saxones ante Carolum M. praeter cultum Finni Dei, et Sibae Deae, bonorum geniorum, atrum daemonem Tybilenum, ne quo oneret

n) Porphyr. de abſtin. lib. 2. Iamblich. de myſter. Aegypt. lib. 3. c. 32. lib. 4. c. 17. Euſeb. praep. euang. lib. 4. c. 22. Iul. Firmic. de error. prof. relig. p. 15. 34. o) Macrob. Saturnal. lib. 1. c. 7. p) Plin. lib. 25. c. 4. 10. Horat. lib. 3. od. 18, 1 – 4.

oneret malo, victimis placarunt. Slaui quoque Zerneboch, ſeu nigrum Deum, ne affligat, coluerunt. Celtas daemones bonos a malis, ſeu albos a nigris, diſtinxiſſe, ex Snorronis Edda colligitur. Galli etiam daemonem habebant, meridie infeſtum q). Non ſolum daemones malos, verum etiam horum effecta, crepitum ventris, febrem, tuſſim, ſcabiem, morbos, et mortem, Deorum cultores honoribus ampliſſimis decorarunt. Conſtantinus autem, qui primus imperium pietate ornauit, ne daemonibus ſacrificaretur, interdixit r).

§ IX.

De daemonibus viſis.

Sacerdotes vaferrimi, quo rebus ſuis commenticiis fidem acquirerent maiorem, daemones, quando omnia ſilent, viſos, excogitaſſe videntur, quibus gentilium infirmiores fidem habebant, quippe, daemones diem fugere, noctu laſciuire, atque ſub

q) Wolf de Manichaeism. p. 100. Keysler. antiq. ſeptentrion. p. 498. r) Theodoret. hiſtor. lib. 5. c. 21.

ſub galli cantum ſedes inferas repetere, iis perſuaſum erat s). Nota ſunt, quae de Curtio Rufo et Athenodoro philoſopho, Plinius, quaeque de Arignoto Pythagorico Lucianus in Philopſeude narrant t). Platonicis decretum eſt, animas vita defunctorum ſubinde reuerti, viuos homines terrore percellere et discruciari, quod Plato in Phaedone et Apuleius liquido confirmant. Quo circa Romani feſtos dies, lemuribus ſacros, inſtituerunt. Animos mortuorum libenter verſari in iis, quae viui coluerant, locis, atque in nemorum virectis, credebant antiquiſſimi Graeci, cum poëtae nondum inferos, vel animas infra terram detruſas, finxerant, vnde nata opinio de Nymphis, per totam terram vagantibus u). Poſtea quisque in ſua domo ſepultus eſt, hinc lemures nocturni ſunt animi demortuorum, atque

s) Philoſtrat. in vit. Apollon. Tyan. lib. 4. c. 5. c. 6. Apulei. metamorph. lib. 6. Propertius 4. 7. 89-92. Delrio in Senec. Hercul. furent. vs. 123. p. 223.
t) Plinius lib. 7. epiſt. 27. u) Clericus ad Heſiod. theogon. vs. 215.

atque ex his adiuti honeſtate vitae prioris, lares ſeu praeſides domuum, vrbiumque, corpore autem deprauati, laruae ac maniae perhibentur v). Meridie quoque, quando ſol igneus eſt, et omnis campus ſilet, manes vagari creditum. Caprarius Theocriti non audet meridie tibia canere, nam metuit Pana acerbum, et Tireſias apud Callimachum, per Heliconem meridiano tempore oberrans, Dea lauante conſpecta, caecus factus et mutus, ſtetit mentis inops, doloresque genua conglutinarunt. Similiter Galli lucum propter Maſſiliam non frequentabant, cum Phoebus erat in medio axe, pauebat ipſe ſacerdos, dominumque luci deprendere timebat w). Inuenti contra, qui viſa haec impugnarent, quod nemo vnquam vir fortis imaginem genii viderit, et quod pueri, mulierculae, aliique metu concuſſi,

 vel

v) Seruius ad Virgil. Aen. lib. 6. vs. 152. Iſidor. Hiſpal. origin. lib. 15. c. 11. Apuleius de Deo Socratis p. 50. Martian. Capella lib. 2. p. 40. Alex. ab Alexand. lib 6. c. 4. p. 439. vv) Theocrit. idyll. 1. 15 — 18. Callimach. in lauacr. Pallad. 71 — 84. Lucan. 3. 422 — 425.

vel aegrotantes corporis et animi vitio, idola inania et horribilia dictu, ſuperſtitioſe ac aniliter conceperint. Brutus et Dio tali ſpecie ita commoti, vt aliis etiam exponerent, feruntur, nam antiqui, auctore Plutarcho, abſurde dicebant, malos genios infenſos eſſe praeclaris viris, hos impedire, terriculis mouere et illudere, vt ne, ſi in honeſto propoſito tenaces perſiſtant, meliori poſt mortem, quam ipſi, ſint vitae colore x). Horatius deridet nocturnos lemures, ſimulat, Quirinum poſt mediam noctem viſum, atque Tireſiam, die aduentante, ab imperioſa Proſerpina tractum y). Spectra Catiana, quae ſpreuit Cicero, huc non pertinent, nam ſunt idola, imagines, exuuiae, vel membranae, quae, vt placet Epicuro, de corporibus defluunt continuo, et ſenſus hominum pulſant z). Tyrannus, ſacerdos Alexandriae, Saturnum ementiendo fingit, vt mulierum amplexibus liceat potiri, et

x) Plutarch. in Dione p. 649. y) Horat. epiſt. 2. 2. 209. Serm. 1. 10. 33. Serm. 2. 5. 110. z) Cicero Famil. 15. 16. 19.

Decius Mundus, eques iuuenis, vt Paullina fruatur, Anubidem ſimulat a). Multa de his idolis Iudaei libero corde fabulant, nam Heliodoro equus cum terribili equite viſus, ac impetu incitatus, priores vngulas inflixit, duoque iuuenes multas plagas incuſſerunt, nec non Iudae Machabaeo, aliisque, viſus eſt eques alba veſte, quatiens aurea arma b). Tantum opinio praeiudicata poterat, vt ipſius Chriſti alumni, magiſtrum, in lacu mane multo ambulantem, conſpicati, nocturnam ſpeciem eſſe rati ſint. Prudentius etiam canit vagantes daemonas, laetos tenebris noctium, galli cantu exterritos c). Ficta haec atque vana opinio prope modum extabuit diuturnitate. Rarius hodie ſpecies horum caeleſtium, extremos in Garamantes relegatorum, oblatae, viſionesque eorum, narrantur. Credat Paphlago, habitans in munimento Aboni.

 §. X.

a) Rufin hiſt. eccleſ. lib. 2. c. 25. Ioſeph. antiq. Iud. lib 18. c. 3. § 4. b) 2 Machab. c. 3. 25. c. 11. 8. 9. Eiſenmenger l. c. P. 2. p. 552. 419. 420. c) Matth. 14. 26. Marc. 6. 49. Prudent. Cathemerin. 1. 37 — 41.

§ X.

De daemone oracula fundente, et de diuinis.

Daemones, ob eximiam cognitionem, et experientiam longiſſimam, venturorum praeſcii multorum habiti ſunt, propterea ab iis, rectius a ſacerdotibus, petebantur in dubiis fida reſponſa. Porphyrius ab Hecate et Serapide, ſimilibusque malis daemonibus, nec ab vllis bonis, oracula proficiſci contendit, ſed Heracleo a geniis partim bonis, partim malis, alii a Dis ipſis et heroibus, alii ab animabus humanis, corpore ſeiunctis, alii a terrae exhalationibus, edita eſſe, cenſent. Reſponſa haec, vel per Deos ipſos, viua voce, ſomniis, ſortibus, vel per interpretes, vel per piſces mutos, in locis fraudi aptis, enuntiabantur, et ipſe Iamblichus gentilis non negat, daemones ibi fallere, mentiri, turpia conſulere et peragere d). Graecos in Italia oraculo deceptos, deceptum Dodonaeo Alexandrum Moloſſum, teſtis eſt Strabo e). De

d) Iſidor l. c. lib. 8. c. 11. Euſeb. praep. euang. lib. 4. c. 21. Leisner ad Bos antiq. gr. p. 44. 45. Banier mythol. T. 1. 667–748. e) Strabo p. 388. 393.

Ennium de Pyrrho reſponſa Pythii confinxiſſe, ex eo elucet, quod Apollo nunquam latine locutus ſit, Pyrrhique temporibus verſus facere deſierit. Ipſe Cicero Apollinis opertis non credidit, partim aperte falſis et temere effutitis, partim caſu veris, partim flexiloquis et obſcuris, nam ſaepius interpres interprete eguit, ſors ſorte, Pythius Pythio; ſed, quod caput eſt, alio modo aetate Ciceronis, et iam diu, Delphis prolata ſunt f). Nonnunquam oracula verum tetigiſſe, non miror, quia, inter multa mendacia, caſus videri poſſit induſtriam imitatus. Quod ſi quid certo et definite ab his vatibus praedictum, id vel animo prouidere, et ex cauſis naturalibus, ſicut medici venturos morbos praedicunt, praeſentire poterant, vel argute ex eo, quod plerumque euenit, coniicere, quod et a rerum ciuilium peritis ſaepe factum, etenim prudentia quodam modo eſt diuinatio. Tullius, quae viuo ſe acciderunt, futura, quaeque

 poſtea

f) Cic. de diuinat. lib. 2. c. 53 – 57. Pauſan. Lacon. 4. p. 212. Plutarch. de defect. oraculor.

poſtea vſu venerunt, cecinit, vt vates, Solon vaticinatus eſt, a Munychia fore Athenis maxima mala, et Thales, forum aliquando Mileſiorum in vico tunc deſpectiſſimo futurum. Animi, ſi quando vaticinando vera viderunt, vſi ſunt fortuna, atque caſu; quid vero habet auctoritatis furor iſte diuinus, vt, quae ſapiens non videat, videat inſanus, et qui humanos ſenſus amiſerit, diuinos ſit aſſecutus? Callide enim, qui talia compoſuit, perfecit, vt, quodcunque accidiſſet, praedictum videretur, adhibita obſcuritatis latebra, vt idem reſponſum alias in aliam rem poſſit accommodari. Ita Cicero, qui talia, quae non ſunt credenda, non credidit g), Apollo ille' magnus, qui donat diuinare, Flacco eſt ludibrio, et Lucianus prodit fraudes oraculorum h). Haec principes fere et opulenti, donis et ſacrificiis, theſauris argenti

g) Nepos in Attico c. 16. Cicero ad Attic. lib. 8. ep. 11. ep 3. ep. 12. lib. 10. ep. 8. lib 6. ep. 6. Plutarch. in Solon. & defect. oraculor. Cicero de diuinat. lib. 2. c. 53 — 57. h) Horat. Serm. 2. 5. 59. 60. in Pſeudomant. p. 752. ſeq. in aſtrolog. 854. de Syria Dea p. 659. ſeq.

genti et auri, operibusque artificum praeſtantiſſimorum oblatis, adire ſolebant, quare Pythii templum ditiſſimum erat, vnde et prouerbium: Aphetoris opes i). Demoſthenes querebatur, Pythiam cum Philippo facere, ſeu ab eo corruptam eſſe, quo licet exiſtimare, in aliis quoque oraculis aliquid non ſinceri fuiſſe. Lyſander Delphos, Dodonam, et Iouis Hammonis antiſtites corrumpere conatus eſt k). Etſi Plato et Plutarchus, omnem vaticinationem ex daemonum vi procedere, contendunt, tamen oracula ſenſim defecerunt. Quid iſtuc tam mirum eſt, ſi deficiunt alia multa? Fanum Delphicum, quondam maximo opere cultum, et Hammonis oraculum, olim clarum, Strabonis aeuo, neglectum, et fere deſertum erat. Antiquitus, ita diſſerit Strabo, oracula ſane magis diuina habita ſunt, quorum de fide non diſputo, equidem firme iis

 credi-

i) Herodot. 1. 50. Iuſtin. 24. 6. Strabo p. 641. Plutarch. de def. oracul. p. 437. Perizon ad Aelian. V. H. 6. 9. k) Cicer. de diuinat. 2. 57. Nepos in Lyſand. 3.

creditum, et diuini maximo honore, vel imperio, digni videbantur l). Quid? iam Tullii aetate nil oraculis erat contemtius, vel quod politiores homines et minus creduli eſſe coeperunt, vel quod reges timuere futura, et ſuperos vetuere loqui, vel quod omnia temporibus ſuis clauduntur m). Adde carmina, ex tripode dicta, ſaepe Apolline, Deo poëſeos, indigniſſima, quae riſus dederunt Epicureis, Cynicis, et Peripateticis, adiunge tandem orationem Pythii rudis ſolutam n). Origenes, et Nicephorus, dubitant de fide oraculorum, et van Dale demonſtrat, patres eccleſiae noſtrae, ob praeiudicatam vulgi opinionem, iſta quidem daemonibus adſcripſiſſe, ſed cum doctis gentilibus non ignoraſſe, modo illuſiones, maxime antiſtitum, fuiſſe. Euſebius refert, Aeſculapii fano Aegis in Cilicia, diruto, nullum Deum, ſed fallacem, pulſum eſſe o).

Iudaei

l) Strabo 641. 1168. 1105. m) Cic. l. c. c. 53. Iuuenal. 6. 555. Lucan. 5. 112. n) Plutarch. de Pyth. oracul. p. 396. & def. oracul. o) Origen. cont. Celſ. lib. 7. Nicephor. hiſt. lib. 5. v. Dale de oracul. Euſeb. praep. euang. lib. 4. init. in Conſtantin. vit.

Iudaei de ſummo ſuo ſacerdote, tanquam Pythio quodam Deo, gloriantur. Ioſephus, honori gentis ſuae nimium indulgens, meminit Iaddi pontificis, diuinitus moniti, laudat Hyrcanum, ita cum Deo verſantem, vt venturorum nil ignoraret, memorat Eſſenos, Iudam et Manaëmum, quorum ille in praedictionibus a vero nunquam, aut valde raro, aberrarit, hic autem Herodi, in ſcholam commeanti, praenunciauerit: regem fore; poſtea dubitantis pueri nates ſubridens manu verberarit, verbis iteratis: atqui regnabis. Porro Flauius Sameae Phariſaeo concedit, praeſignificaſſe, Herodem aliquando eſſe omnes vlturum, confertque in Phariſaeos, qui diuini exiſtimabantur, praeſenſionem, ex decreto Dei, et notationem fortunae Herodis, ſuorumque aduerſae p). Non diffiteor, ea omnia contigiſſe, ſed nego inſtinctum, quem nugatur, diuinum, quippe

p) Ioſeph. Antiq. lib. 11. c. 8. § 4. lib. 13. c. 10. § 3. de B. I. lib. 1. c. 2. § 8. Antiq. lib. 13. c. 11. § 2. B. Iud. lib. 2. c. 8. § 12. Antiq. lib. 15. c. 10. § 5. c. 1. § 1. lib. 17. c. 2. § 4.

pe tum reſponſa veri Dei ex Vrim et Thümmim, per ſacerdotum principem in rebus grauiſſimis, elicienda, iam diu multum conticuerant. Omnis illa ficta diuinatio naſcitur ex daemone viri, amplitudine florentis, praeſcio, qui etiam, ſi modo valentior, incendii daemonem ſine aqua erat reſtincturus. Facultas reſciſcendi futura non ſolis inſidebat Iudaeis, verum erat Strabonis aetate, et eſt prope modum hodie, catholica, nam Americani, Seres, Gymnoſophiſtae, Mohammedani, Afri, et Lappones, daemonibus refertiſſimi, vaticinantur q). Voluspae Danorum veterum, et Samnitae Gallorum, et Druidae Celtarum, vates erant r). Feminis Germanorum inerat aliquid olim diuinum et futura praeſentiens, ideo numinum inſtar obſeruatae ſunt; eaedem cum daemoniis lucorum, et montium, conſuescere dicebantur. Inde et ex cultu lunae, Deae montium, amorum, magiae, et venationis, conciliabula ſaga-

q) Strabo p. 168. Lafitau hiſt. Amer. I. 72. 155. 450. 61. Banier Götterl. I. 258. 267. Sale koran 155. Schefferi Lapponia 119. r) Keysler antiq. Celt. 473.

ſagarum, hoc erat, diuinarum, in Atlante noſtro fabuloſo, monte Bructerorum, ad Francos olim pertinentium, nocte ante calendas Maii, obeunda, arceſſimus. Tandem, hiſce gentilibus Chriſto adductis, venit rumor, ex Walburgis, virginum ſolitariarum Aichſtadienſium principis, ciſta ſepulcrali argentea, die Maii primo, oleum, omnium morborum remedium, ſtillare. Forſan haec, Benedicto conſecratarum antiſtes, ſcripſerat quoque litteras amatorias ad daemonem, quales Wierus, in Gertrudis ſolitariae ciſtella inuentas, tradit s). Germanos veteres, ſolis et lunae lucos, in quibus homines etiam per legatos immolati ſunt, Deorum nominibus appellaſſe, conſtat; et Ptolemaeus meminit ſiluae Hercyniae, ferrariae, et ſiluae lunae. Haec eſt magica Dea; hodieque, in monte Bructerorum, quidam lacus et fons magicus dicitur t). Gallorum,

s) de Bünau hiſt. imp. 1. 66. 349. 53. 359. Keysler l. c. 457. 498. Schedius de Dis germ. 174. 32. Dreſſer de feſt. dieb. 89. t) Iul. Cæſar B. G. 6. 21. Tacit. de mor. Germ. 10. 39. 9. Ptolem. geogr. lib. 2. c. 11. Becmann hiſt. Anhalt. P. 5. 388.

lorum, eandem venationis Deam colentium, matronae etiam noctu talia concilia, aërio quaſi volatu, primo Ianuarii, habebant u). Lacaenae virgines, die annuo Dianae feſto, ad fanum lunae Caryatidis choreas duxiſſe, et in monte Taygeto orgia celebraſſe, commemorantur v). Luna etiam in Latmo Cariae monte, Endymionis conſopiti amans, amata ab amantibus feminis w). Sed Flaccus, e ſchola politus, omnem ſuperſtitionem deridet, veneficas, crepitu ventris exterritas, repellit, inque diuinam anus vrnam iocatur, et Cicero Tireſiam, cui ſcire futura Iupiter dederat, contumelioſiſſime laedit x).

§ XI.

De Pythagorae et Platonis daemonibus.

Vetuſtiſſimus ille opinatus de daemoniis, a Chaldaeis ad reliquas gentes manaſſe fertur. Antiquiſſimos Graeciae incolas eadem opinatione fuiſſe, eamque a populo ad ipſos

u) Banier l. c. 2. 697. v) Pauſan. Meſſen. c. 16. Lacon. c. 10. Virgil. Georg. 2. 487. vv) Delrio in Senec. trag. 91. 94. 307. 404. 162. x) Horat. Serm. 1. 8. 46 – 50. I. 9. 30. Cic. diuinat. 2, 3.

ipſos ſapientes, ex quo Pythagorae et Platoni placuit, fuiſſe propagatam, certum eſt. Thales iam mundum animatum, ac daemonibus plenum, e fontibus Aegypti hauſerat y). Pythagoras ſummo Deo, quem animam mundi, ignem diuinum, et rationem nominat, tres adiungit intelligentiarum ſpecies, Deos, daemones, et heroës, naturae et dignitatis gradu diſtinctos; dum vero eius ſchola Deos vocat ſpiritus primi ordinis, palam, ob philoſophiae Italicae decretum, indicatur, ex Deo emanaſſe, vnde, ſi tribus illis animam hominis addas, habebis omnes, qui ex Deo effluunt, riuos. Iam quo magis effluens a fonte ſuo diſtat, eo fit impurius, hinc illi naturarum gradus cogitando inuenti, et daemonum corpus ſubtiliſſimum z). Pythagoras, nimis propenſus ad daemonum imperium amplificandum, in primis rationes rei obſcurae ad iſtos retulit; interrogatus, vnde acutus aeris purgati ſonus oriretur? vocem daemonis, reſpondet, eſſe in ipſo

aëre

y) Dale de idolol. p. 64. Laertius p. 18. z) Brucker l. c. I, 1081. Marcil. in aur. carm. 331. ſeq.

aëre incluſam. Quis tale reſponſum a geometra expectaſſet, quidue facilius ad omnes nodos expediendos, ſi ſemper daemon aliquis ex machina praeſto eſt? Idem Samius barbatus totum aëra ſine impenſis implet daemonibus, qui hominum generi atque iumentis ſomnia, ſigna morbi, et ſanitatis immittant a). Hoc decretum, quod ex anima mundi fluit vbique diffuſa, ab illo ad alios philoſophos dimanauit, qui morbos, ſi non omnes, certe multos, ex daemonum quaſi arcula, depromendos eſſe, per ſomnum viderunt, quod in Iamblicho, Porphyrioque, et in iis elucet, quae de Apollonio Tyanaeo, ſimio Pythagorae, refert Philoſtratus b). Hiſce daemonibus ſupplicationes, irae Deum auerruncandae cauſa, decretae ſunt. Renatus iſte philoſophus in Aegypto didicerat, morbos, praecipue difficiliores, daemonum filios eſſe, quos etiam ſcienter excantauit. Minime curo, quo cadant ſomnia Pythagorea c).

Plato,

a) Porphyr. in Pythagor. p. 42. Laertius p 514. b) Iamblich. Pythag. § 164. § 243. Porphyr. l. c. § 30. Philoſtrat. in Apollon. lib. 10. c. 20. lib. 4. c. 10. c) Brucker l. c. 1082.

Plato, quod ad ea, quae ad intelligentiam pertinent, in Pythagora acquieuit, et, innumeros daemones eſſe, affirmauit d). Socratis, mala cicuta ſublati, exemplo is cautior factus, philoſophiam ſacris Athenienſium propius admouit, quae fauebant animae mundi, omnia permeanti, matri daemonum. Publice tum recepta Graecorum perſuaſio erat: plena eſſe Deorum omnia; ideo monitus cauit, ne forte negotii quid ſibi incutiat inſcitia legum ſanctarum, quippe, ſi daemonum copias imminuiſſet, ius erat, iudiciumque. Si foret in noſtrum hoc aeuum fato delatus, recideret omne daemonum genus, neque, vt miretur turba, laboraret. Plato occultus et aſtutus, qui multa videt in vmbris, quae alii non vident, et in quo mens Socratis raro ſpirat, aliorum mentem penicillo ſuo ita pingere perdidicit, vt pictor procerum, quos nunquam vidit, formas in tabulis ſolet repraeſentare e). Noſti morem dialo-

d) Laertius 169. 213. e) Laert. p. 78. Athenaeus p. 505. 507. 218.

dialogorum. In rebus philoſophicis oratorem non raro agit audacem. Is, quaſi Deus quidam philoſophorum, quicum errare malebant multi, quam cum aliis bene ſentire, numeris et daemonibus Pythagoricis obſcurat philoſophiam, ac veluti nebulas quasdam rebus offundit. Multis ea potiſſimum probatur philoſophia, quae lucem eriperet. In ſententia de Deo inconſtans eſt, modo corporeum facit, modo corpore carentem. Docet, Deum ſuam eſſentiam et ſimul materiam participaſſe cum anima, in mundi ortu producta, mundoque, ſeu filio Dei, indita, omnesque eius partes, maxime illuſtriores, ſolem, lunam, ſidera, Deos eſſe, cum anima mundi ortos; contra ea, Deos aeternos eſſe ideas aeternas, in mundo intelligentiarum concluſas. Duplicem vniuerſitati rerum animam dedit, benignam, et maleficam, ſiluae, ſeu materiae, priuam. Praefecit mundi huius, qui ſentitur, adminiſtrationi, innumeras daemonum legiones, quibus ſublatis, maxima eius philoſophiae pars collaberetur. Tanto daemonum agmine vaſtum illud, quo Deus a materia disiunctus eſt, ſpatium explere ſtuduit,

duit, ſcalasque effingere, quibus, ad ſummum numen peruenire, homini liceret f). De daemonum ortu et natura faſſus eſt, tranſilire hominis ingenium, priscisque hac in re eſſe credendum viris, qui, DIs geniti, parentes ſuos optime norint. At haec tendunt modo ad popelli inuidiam propulſandam. Apage hoc animal bipes. Nihil tam abſurde dici poteſt, quod non dicatur ab aliquo philoſophorum.

§ XII.

Multi reiecerunt ſermunculos de daemonibus.

Socrates, Platonis praeceptor, fabula de daemoniis ſpreta, praeter Deum creatorem et rectorem, et numina quaedam minora, parum de naturis aetheriis, quod non negat ipſe Xenophon, ſolicitus, temſit ſuperſtitionis patriae nugas, philoſophiam laruis et fabulis, et ſuperſtitioſo daemoniorum cultu plenam, adeoque lymphaticam, ad rectam rerum intelligentiam reduxit, cuncta ſanae rationis trutina, miſſis, quae naturam ſuperant, exa-

f) Brucker l. c. p. 701 – 708. Plato in Conuiuio & Epinom. & Timaeo. Max. Tyrius diſſ. 26. Plotin. Ennead. 3. lib. 5. c. 6.

minauit, dixitque, ſuperiora latere, et eos furere, qui de his diſſerere norint g). Is, in omni oratione ſimulator, rerum cauſas expoſuit naturales, quare Ariſtophanes in nebulis iactat, eum negare Iouem et Deos, iurare per chaos, nebulas, aëra, linguam, canem, et anſerem, quaſi natura ipſa ipſi eſſet Deus. Quam ob rem, parens philoſophiae, Anyti reus, hauſto cicutae poculo, ad mortem truſus eſt h). Parmenides, Democritus, Ariſtoteles, Pyrrho, Epicurus, Celſus, Auerroës negabant daemonia. Non omnes Deorum cultores tam obeſae naris erant, vt architectos rumorum, de iſtis daemonibus ſparſorum, non olfecerint. Flaccus, non vnus multorum, traducit ſuperſtitioſos, ridet ſagas, terrores magicos, portentaque Theſſala, nec credit, ſi quid miri faciat natura, Deos id triſtes ex alto caeli tecto demittere i). Tullius, qui pro nihilo putat Furias, ſua, inquit, quemque

g) Brucker l. c. p. 537. 549. Plutarch. de genio Socrat. p. 482. Xenophont. memorabil. 560. h) Max. Tyrius diſſ. 26. & 27. Laertius in Socrate. Aelian. V. H. lib. 2. c. 13. p. 83. i) Horat. Serm. 1. 8. epiſt. 2. 2. 208. Serm. 1. 5. 97 — 103.

que fraus, et ſuus terror, ſuumque ſcelus, agitat, amentiaque afficit; ſuae malae cogitationes, conſcientiaeque animi terrent, hae ſunt impiis aſſiduae, domeſticaeque, furiae, quae, dies noctesque, poenas a ſceleratis repetant k). Vim diuinam, effectricem morborum, multi ſuperſtitionem imbecilli animi atque anilis, putare. Hippocrates, ſolis hoc in loco audiendus, aſſeuerat, magorum ſimiles, morbi ſacri cauſam, dixiſſe diuinam, cum nihil haberent, quod prodeſſet, iſtumque corporis affectionem infirmam, vt ne appareat eorum inſcitia, ſacram pronuntiaſſe. Si caducus qua ope reualeſcat, cadit in gloriam circumforaneorum, ſin moriatur, hi ſeſe aliis de morbo, diuinitus immiſſo, poſſunt excuſare. Cibus et potus, ita pergit, laedunt et ſanant, non Deus, nam numinis vis diſſipatur, quare Deus non eſt auctor. Illi homunciones amplius quid ſe ſcire ſimulant, aliosque decipiunt expiatione, et verbis, daemonio recitatis, piis quaſi, potius autem impiis; et prout mali huius euenta

 vari-

k) Cicero pro Roſcio Amerin, 67. 24.

variant, eius cauſam modo matrem Deorum, modo Neptunum, modo Hecaten, modo Apollinem Nomium, modo heroës, modo Martem, auctores eſſe volunt. Hic vero morbus morbis reliquis non eſt diuinior, quippe poteſt tempore ſuo ſanari, eiusque auctor eſt cerebrum, praecipue in pituitoſis. Oues etiam et caprae frequenter in hunc morbum cadunt, quarum in capite ſecto eſt cerebrum male olens. Ergo Deus puriſſimus inpuriſſima corpora non affligit. Ita comprata quoque natura hominum, morbo comitali laborantium, quem ſi praeſentiant miſeri in loca fugiunt deſerta, ſeque velant prae pudore conquasſationis, non prae metu daemonii l). Poſidonius etiam inſanias hominum qualescunque non daemonum impulſui, vla ex parte, adſcribit, ſed humorum vitio naturalium m). Antoninus philoſophus, imperator ſapientiſſimus, didiciſſe ſe a Diogneto gratus agnoſcit, commenta iſta ſpernere, nihilque eorum credere, quae de epo-dis,

l) Hippocrat. de morb. ſacr. T. 2. p. 325 — 349.
m) Philoſtorg. lib. 8. 9.

dis, de magis, de daemonibus auerruncandis, aliisque eiusmodi, ferrentur n). Dionyſius quidam, Aegyptius Muſicus, familiaris Celſi, dixerat: prudentes viros a noxiis magis tutos eſſe, malosque ſpiritus tantum in ſtupidos, et vitiis deditos, poteſtatem habere. Verum hoc eſt generale dogma albae magiae, quod magi nigri viris prudentibus, et piis, nequeant nocere o). Ratio in promtu eſt mihi, nam magia, quam Flaccus dente mordet, eſt fraudulentiſſima, et nobiles magi, aeuo Hippocratis, erant ſtupidi et bardi p). Daemones hi, a magis eiecti, minus apti ſunt acutis naribus Luciani, qui artem, daemones lectis ſuis excutiendi, inter inſana plebis mendacia numerat, nihilque ſe mirari facete addit, quod Platonici daemones fumidos et nigros, corporibus exeuntes, conſpiciant, cum illorum oculi tam acuti ſint, vt, videant ipſas ideas q). Sadducaei, vel Baithoſaei, qui in Iudaeis auctoritate magna pollebant,

 lon-

n) Antoninus lib. 1. § 6. o) Origenes contra Celſum p. 669. 670. p) Horat. epod. 5. & 17. Hippocrat. l. c. q) Lucian. philopſeud. T. 2. p. 337. 338. 327.

longius progreſſi, angelos et ſpiritus negare auſi, et confirmare, animas hominum poſt mortem non permanere r). Dauid Ioris, homo chriſtianus, omnes daemones audaciſſime pernegat, eorumque coryphaeum, quantus quantus ſit, ad certamen et pugnam minimo prouocat, acturus, perditurus, proſtraturusque.

§ XIII.

Iudaei quaedam cum Deorum cultoribus communia habuere.

Profano cultui deditos ſpiritum quendam malum ſub hirci, ſeu Mendetis forma, quem, Aegypti Deum, Graeci et Romani Pane capripede, eiusque comitibus, Satiris ac Faunis explicant, coluiſſe, certum eſt s). Satiros quidem delirantium poëtarum et pictorum figmenta dicit Caſaubonus, at Syllae oblatus eſt Satir, et alius ad Conſtantium ab Indorum rege miſſus. Pauſanias mentionem

r) Actor. 23. 8. Ioſephus de Bell. Iud. lib. 2. c. 8.
s) Iablonski panth. Aegypt. p. 279. Propert. 3. 15. 34. Lucret. 4. 589. Horat. lib. 2. od. 19. 4. Bochart. hieroz. 640.

nem facit inſulae occupatae a Satiris rufis, et caudas, vix minores equinis, infra clunes habentibus. Solinus Atlantis ſaltus Satiris replet. Hi laſciui daemones, vel Fauni ſicarii, frequentant vrbes, multumque nocturnis choreis et cantibus delectantur t). Supra Gangem et Mauritaniam, Ptolemaeo et Mela auctoribus, ſunt inſulae, hisce beluis frequentes. Hoc Mela didicerat ex periplo Hannonis, teſtis idonei et praeſentis. Senator noſter Koenig easdem beſtias hirſutas, etiam homini ſimillimas, ſaepius vidit u). De homine nocturno et ſilueſtri in Aethiopia, in Iauae, Amboinae, Ternateae ſpeluncis, de Satiro in Africa et Aſia, et de Siluano, cachinno blandiente, et, Caffrorum more, ſalutante, nec non de Sileno, Fauno, et Panisco, conſule Linnaeum v). Rudiores cum haecce animantia ex genere ſimiorum

t) Caſaubon. de ſatir. poeſ. p. 38. Plutarrh. in Sylla 488. Philoſtorg. hiſt. eccl. lib. 3. 11. Pauſan. in Attic. 41. Solin. c. 37. Aelian. V. H. lib. 3. c. 40. Virgil. ecl. 5. 73. u) Ptolem. geogr. lib. 7. 141. Mela lib. 3. c. 10. 11. v) Linnaei ſyſt. nat. I. p. 21 – 26.

rum in deſertis et inhoſpitis Libyae locis, et in Indorum montibus, viderent, eaque, ob laſciuiam, pernicitatem, et externam formam, autumarent, modum et naturam pronorum animalium excedere, ſibi perſuaſerunt, daemones eſſe monſtroſos, hominibus hac ſpecie, praeſertim in locis, a commercio hominum remotis, illudentes w). Ebraeos etiam hircis, in quibus Maimonides et Kimchi daemones malos intelligunt, ſacrificaſſe, teſtis eſt Moſes x). Alexandrini V. T. interpretes vertunt Sehirim, Schedim, Gad, et Tsijim, in daemonia, ſcilicet malefica, ex gentilium perſuaſione y). Chaldaei quoque non raro paraphraſi ſuae cacodaemones immiſcent, hoc eſt, hircos. Mira et impia in hoc loco, praeter Abrahamum magiſtrum, ceteri Iudaeorum doctores nugantur, traduntque,

w) Plin. lib. 7. c. 2. lib. 8. c. 30. c. 54. lib. 5. c. 8. Salmas. in Solin. p. 293. Aelian. hiſt. anim. 16. 21. Spanhem. de vſu num. 5. 243. x) Maimonid. more Neuoch. lib. 3. c. 47. Kimchi lib. radic. Deut. 12. 17. Leuit. 17. 7. y) Ieſ. 13. 21. c. 34. 14 Deut. 32. 17. Pſalm. 106. 37. Ieſ. 65. 11. c. 13. 21.

que, idolum Aſima formam hircinam habuiſſe z). Quia induerant animo perſuaſionem, daemones in locis deſertis non modo habitare, verum etiam loqui, et videri, ideo ſpiritus Tobiae impurus Aegypti ſuperna petit, ſeu loca arenoſa, ſicca, humano cultu deſerta, qualia ſemiferi Aegipanes, Siluani, et Fauni tenebant a). Ethnici, qui commercia cum daemonibus affectabant, vel conſederunt in antris, vel februationibus animas vita defunctorum apud ſepulcra purgarunt. Ritum hunc a Numa introductum ex Graecia et Oriente petimus, vnde omnis fere cultus religioſus ad Romanos tranſiit. Canidia et Sagana maior ſcalpunt vnguibus terram, vt ſcrobs fiat magica, vnde manes ex orco euocent, ſiquidem terra, ſecundum veteres credulos, e tenui cruſta conſtat. Ebraei quoque, qui daemones ſibi ſocios adſcitum ibant, in ſolitudines ſecedebant, manebantque apud ſepulcra, et ad tumulos, ſeu in ſpeluncis et lucis pernoctabant, vt vel manes

z) Camerar. hor. ſubſ. 319. 2 Reg. 17. 30. a) Tobiae 8. 3. Lucret. 4. 584.

nes placarent, vel animas elicerent, reſponſa daturas b). Gentiles, meridie manes ſaeuire, credebant; ad hunc opinatum reſpicit daemonion illud, quod in Alexandrinis interpretibus legitur, meridianum c). Nos ibi hodie grauem peſtilentiam intelligimus, praeſertim in acuto ſole graſſantem. Rumor quoque olim per Europam manabat de exercitu circa meridiem furente, et de familia Hellequina d). Papae. Multi gentilium, daemones eſſe animas hominum corpore ſolutas, ſibi opinionis errore finxerant; eidem commento acceſſere Iudaei e). Gentiles credebant, helleboro medicandos, obſeſſos daemone eſſe; eadem formula Verpos tenet, ac Ioſephus eadem dictione vtitur f). Superſtitioni Niliacorum adhaeſerunt Iſraëlitae in Aegypto g). Magia, iam Ioſephi et

b) Horat. Serm. 1. 8. 26. Vitringa ad Ieſai. 65. 4. c) cfr. § 9. Pſalm. 91. 6. d) Rappolt in Horat. 1289. e) Heſiod. op. & d. 121 — 126. Plutarch. de placit. philoſoph. 1. 8. Ioſeph. B. I. 7. 6. Menaſſe ben Iſrael de reſurr. lib. 2. c. 6. f) cfr. § 3. Lightf. ad Matth. 17. 15. Ioſeph. l. c. lib. 2. c. 13. § 4. g) Ioſua 24. 14. Ezech. 20. 5. 6. c. 23. 2. 3.

et Moſis aetate, in Aegypto viguit, nam Iannes et Iambres viro diuino obſiſtere auſi ſunt h). Si Iamblicho, quicum Porphyrius et Pſellus conferendi, fides eſt habenda, theurgia Chaldaeorum in auerruncandis ſpiritibus malis, et commercio cum bonis, conſtitit. Chaldaeis auctor magiae praecipuus erat Zoroaſter, qui Iudaeorum magiſtris vel Chamus, vel Mizraim, habetur. Orpheus etiam conditor tabularum magicarum, daemonum domitor, expulſor, et victor, perhibetur i). Magia, quam Hippocrates damnat, licet duodecim tabularum legibus, et multis patrum conſcriptorum dedecretis, vetita eſſet, attamen, ad principum et populi Romani ſenſum, nihil ea erat vulgarius, quam et ipſe Tiberius didicerat k). Triballi et Illyrii oculis faſcinare, et, quos diutius intuiti, pupulis iratis interimere, exiſtimabantur l). Antoninus Caracalla, magiae deditiſſimus, metu inſidiarum, daemonum arcana

h) Genes. 41. 8. Exod. 7. 11. 2 Tim. 3. 8. i) Scholiaſt. Euripid. ad Alceſt. 968. k) Tacit. Annal. 2. 17. lib. 6. c. 5. Iuuenal. Satir. 9. l) Gallius 9. 4. Plin. 7. 2.

cana rimari ſtudens, vndique magos acciuit, nil veri loquentes, eruditos modo ad aſſentationem m). Olim quidem magus erat ſapiens, poſt praeſtigiator euaſit. Zabios et Iudaeos eadem linguae magicae potentia habuit addictos, deditos et obſtrictos, quam plerumque homines e ſchola non politi, velut Zingari vagantes, amant. Iudaea, aeuo Ioſephi, magorum pleniſſima erat, plebeculae miſerrimae imponentium, quorum permultos, quotidie deprenſos, Felix ſupplicio affecit, vt tandem latronibus eſſent ibi contemtiores n). Quantam vim habeant verba contra febres, et quascunque moleſtias itinerum, et aquarum, contra incendii, hoſtium, daemonum, et armorum pericula, dilucide Hama, Iudaeorum doctor, in libro ſpeculationis explicat. Vana ſuperſtitio credat, tremulaeque parentes. Adhuc Iudaei ſchedulas magicas, ſerico veſtitas, nudo in pectore, velut auerruncum geſtant, bonorumque datorem. Erant et

ritus

m) Herodian. 4. 12. n) Salom. Iſaacid. ad Sota f. 22. col. 1. Maius de Zabiis § 11. Ioſeph. A. I. 20. 8. B. I. 2. 12.

ritus Iudaici, ex Graecorum orgiis arceſſendi, vt nocturna ſollemnitas in atrio feminarum, libamen aquae, geſti et concuſſi ramorum, Lulaf, faſciculi, vſus tibiae in templo, et comiſſationes, quae omnia Graecis, Bacchanalia agentibus, congruunt, conueniuntque. Iudaei cornua victimae inaurarunt, ſertisque coronarunt; idem a Graecis eſt factum. Iudaei, ſacris operantes, caput velabant, ſicut Romani, a quibus etiam flagrorum poenam, moremque accumbendi, accepiſſe videntur o). Ariſtaeus, forte Graecus, clam ſacris Iudaeorum initiatus, horum cauſam ita defendit, vt Graecorum Iupiter a Iudaeorum Deo, nec non Iudaica religio a ceterorum populorum doctrina, vix differre videatur, qua in re omnem ſaepe modum excedit Ioſephus p). Quo arctius gentes caelo iunctae, eo ſibi ſimiliora ſolent quidem animo effingere; attamen imaginum conceptarum ſimiles formas apud populos quoque, longiſſima regione remotos, inuenimus. Sunt in his non-

o) Lakenmacher P. I. 17 — 88. P. 3. 209 — 235.
p) Ioſeph. A. I. p. 586.

nonnulla, totius generis humani communia, quae ſua ſponte ex quacunque terra naſci potuerunt. Superſtitioſae ſolicitudinis, caerimoniarum, moris, rituumque ſacrorum, in gentibus diuerſiſſimis, conuenientiam desines mirari, ſi originem priſcae credulitatis, tantarumque fabellarum, non ab Aegyptiis vel Chaldaeis, potius ab ipſa hominis anima, ducere ſtudeas. Superſtitio, fuſa per gentes, oppreſſit omnium fere animos, atque hominum imbecillitatem occupauit; velut in ſiluis, vbi error paſſim palantes de tramite certo pellit, ille abit ſiniſtrorſum, hic dextrorſum, vnus vtrique error.

§ XIV.

De Iudaeorum daemoniis.

Habeo, qui dicerent, Iudaeos, maxime reduces ex exilio Babylonico, daemoniis ita refertos fuiſſe, vti ante Thomaſium in Europaeis omnia veneficarum, magiae albae, et nigrae, plena erant, ſed ego ſcio admodum incerto, an Iudaei iſtam praedam ex Perſia ceperint, vt Grotius et Basnagius colligunt, et per frequentia in Aegyptum itinera, vt Mos-

Moshemius addit, mirifice auxerint a). Mihi vllum vix eſt dubium, placitum hoc Iudaeis domeſticum fuiſſe. Num vero Barbari illam diſciplinam his ſuffurati, ſuae theologiae inſerſerint, ignoro. Philo vbique Platonis, quibus fauebat, decreta in Moſe quaerit, et eius tribules de Moſe, tanquam omnis ſapientiae Graecorum fonte, gloriantur. Idem Alexandrinus Philo, Pythagorae et Platonis aemulus et imitator, totum aërem implet animabus, a corpore ſecretis. Menaſſe Ben Israël etiam ex libro Zoar antiquiſſimo explicat, animas vita defunctorum, per duodecim menſes, a corporis morte, vi ſpirituum aëriorum, ſubinde reuerti, ductasque amore domicilii ſui crebro deſcendere et aſcendere, corpusque in ſuum a ſpiritibus illis, in aëre habitantibus, per iſtum annum, retrahi b). Tobias daemonem, quaſi vexantem naturam, ſine veriſimilitudine ſecum fabulatur, nam Asmodi ille potens, qui virgi-

a) Grotius ad Matth. 18. 10. Basnage hiſt. Iud. T. 4. c. 9. Moshem. ad Cudvvorth. p. 854. 856. b) Menaſſe de reſurrect. lib. 2. c. 6. p. 167.

virginem pulcram deperit, ſponſosque ſeptem necat, per ſuffimen pellitur, cui Raphaël effectum naturale adſcribit, docetque, cordis et hepatis fumum daemonia auerruncare c). Lappones firmant, ſi poſtules, iureiurando, puellae menſtruis daemonia pelli; et veteres Galli de Apolline habebant opinionem, eum morbos depellere d). Tobias ille multas ſpecies vanas, velut aegri ſomnia, fingit, gryphesque iungit equis. Haec ſingula enarrare piget, pudetque. Iudaei, helleboro medicandi, cum magno blaterant clamore, Hillelem didiciſſe loquelam ferarum, iumentorum, montium, vallium, lignorum et daemonum, et in Cabbalis, aliisque chartis apocryphis, ordines geniorum per quam multos, ceu ranae Rauennates, canunt, et murmurant, inſciteque garriunt. Septuaginta daemones malos lepide praeficiunt totidem populis regendis, illosque, quaſi multorum malorum, etiam leprae, auctores, more Aſiatico depin-

c) Tobiæ. 6. 6-9. 15. 20. d) Schefferi Lappon. c. 11. coll. Plinio 28. 7. Cæſar. B. Gall. 6. 17.

depingunt e). Cuiuis fere rei, velut aëri, aquae, igni, quatuor horis anni, ſingulis menſibus, cuique diei, conceptioni, matrimonio, ſtudiis, fortunae, bello, ſomniis, ſanitati, morbis, peſti, et morti, certos praeſides atque rectores deſtinant. Tedacus Leui ex tempore effutit innumerabiles aëri, ventis, et elementis, praefectos bonos et malos, et Menaſſe ſpiritus generatos, comedentes et morituros, incolas aëris et ignis. Philo daemones, mulierum amantes, apponit, quos et Mohammed, qui gentilium, Iudaeorum, et Chriſtianorum, ſcrinia compilauit, adoptat. Huius aſſeclae, Harutum et Marutum, caeleſtes quondam, in terram miſſos, formoſam Zoharam, in Veneris ſtellam poſtea reducem, arſiſſe, fabulantur f). Iudaei, qui eadem chorda oberrant, genios ex filiorum Dei, rectius potentiſſimorum, quorum Mo-

e) Gaulmin, vit. Moſis p. 187. Eiſenmenger l. c. P. I. p. 18. p. 816. P. 2. 408—468. f) Wagenſeil ad Sota. Selden. Iur. natur. p. 527. Eiſenmenger l. c. P. 2. 376. Reuchlin de cabbala 767. Menaſſe de creation. Problem 22. Philo de gigant. 248. Koran. Arnold. edit. p. 19. b)

ſes meminit, hominum, cum filiabus pulcris conſuetudine et nuptiis, natos et multiplicatos arceſſunt, inde foedera, veſticontubernium, mediosque daemonum amplexus et venuſtarum, illorumque muliebrem patientiam, crepant g). A daemonibus ſecernunt angelos, nec corpore, nec materia conſtantes, Ioſephus, Aben Esra, et Maimonides h). Aſiaticus homo, iudice Linnaeo, regitur opinionibus.

§ XV.

De Iudaeorum morbis, daemonum filiis.

Nuptiae, in myſtica vanno, ſunt rerum et cauſarum naturalium concurſus, et ſocia actio, parens eſt cauſa, filius eſt effectum. Ioſepho perſuaſum erat, malorum hominum ſpiritus, ſeu daemonia, viuos intrare, occidere, ſolaque radice Baara, aegrotantibus admota, abigi poſſe. Sed de his Flauii, a ſuperſtitione non prorſus liberi, verbis fere ſuſpi-

g) Bereſchit Rabba in Geneſ. 6. 2. 4. h) Ioſeph. hiſt. 1. 4. Aben Esra in Exod. 26. Maimonid. de fundam. leg. 1. c. 1. c. 2.

ſuſpicor, in orationem a librario quodam intruſa fuiſſe, nam alibi ille, Phariſaeos docere, ſcribit: malorum hominum animos, poſt diſceſſum a corpore, in carcere perpetuo detineri, ſolas autem proborum mentes in alia poſſe corpora commeare; nec iſte Matthiae filius, ipſe Phariſaeus, qui quidem multa ſibi propria habet, monet, ita ſentire omnes Phariſaeos. Atqui inter nos conſtat, hos longe aliud genus daemonum, ciuitatem quandam conſtituentium, tuitos eſſe; accuſant enim Sotera noſtrum integerrimum de malignis daemonibus, virtute principis daemonum, expulſis. Ergo ſchola haec, licet de multis inter ſe digladiaretur, defendit alios quoque, praeter mentes impiorum, daemones, qui corpora hominum ingredi poſſint. Si Boerhauius, vel Hofmannus, daemoniacum illum, cuius liberationem Ioſephus enarrat, inueſtigaſſent, ſane nullam animantem feram, naturae lineas tranſilientem, in iſto inualido deprehendiſſent i). Iudaeis vſitatiſſimum erat, morbos quosdam, praeſertim, quibus

i) Ioſeph. B. I. p. 417. 166. Antiq. Iud. 871. 420.

vel corpus diſtortum, vel mens turbata erat, malis ſpiritibus attribuere, eorumque magiſtri edunt et exponunt, ſpiritum malum eſſe incommodam valetudinem; declarant, cordicum eſſe vel morbum ſacrum, vel daemonem, in vini potoribus nimii dominantem. Ecce eundem daemona et morbum, cui adiurationes et diaetam aptant Gemariſtae. Conſuetudinis tum erat dicere, pocula duplicata ebibentem a diabolo plecti, ſpiritum malum Shibta prehendere infantum ceruices, contrahere et exſiccare neruos. Omnes melancholiae ſpecies, et omne damnum, quod non erat a manu hominis, ſed alia quacunque cauſa, nuncupabant daemonem malum, huncque ſufflare dicebant calamitates, afflare, cum morbos immundos, vt lepram et profluuium ſanguinis tetri, tum mundos, qualis erat plaga feminae in euangelio, prorſus incuruae. Prout variabant morbi, varia quoque erant ſpirituum nomina, modo impuri, modo caeci, modo infirmi, modo ſpiritus muti. Eminet iam et apparet, ea daemonibus eſſe imputata, quorum cauſae et remedia latebant.

Ergo

Ergo domitores illi daemonum fuerunt vel nebulones circumforanei, vel medici, qui prudentes viſui calentium morbo, vt remediorum vis maior eſſet, blandiebantur k). Porro ebrietatem ex muſto, et mentis vitia, omnemque prauam animi affectionem, vocitare ſatanam et daemonion l). Quid iſtuc miraris, ſiquidem, ſecundum Iapones, daemonia callida in vulpibus ſedem ſuam, ac domicilium collocant, et Platonici et Pythagorei non ſolum docent, daemones eſſe libidinis, triſtitiae, furoris, omniumque animi morborum, ſeu vitiorum, parentes, verum etiam rhythmis, et carminibus, et muſica, ſedandos, ſuadent. Pythagorici nil dubitarunt multum virtutis in arte muſica ad daemones in fugam vertendos ponere, numeris quippe et modis ineſt quaedam tacita vis, quae animum et corpus leuat. Iidem, ſomnum petituri, prius ad lyram mentes

 lenire,

k) Lightfoot in Matth. c. 17. 15. c. 8. 28. Maimonid. in Sabb. 11. 3. in Erubbin. 3. 4. Lightfoot in Luc. 13. 11. l) Gloſſ. in Iom. f. 67. 2. Gittin. fol. 77. 2.

lenire, vt, ſi quid cogitationum turbidiorum fuiſſet, componerent m).

§ XVI.

Satan non ſemper in oraculo diuino notat ſpirituum malorum principem.

Saulus ſpiritu malo, ſeu melancholia, quam ſatanae balneum non nemo appoſite dixit, percitus, cithara Dauidis recreatur. Muſices vim in aegritudine demulcenda, et in triſtibus corporum morbis euincendis, praedicat Martianus Capella, aliique de eius effectis multa, quae hiſtorica fide conſtant, teſtimonia collegerunt. Neque infitias ibis, animum noſtrum muſices blandis et dulcibus, qui aures complent, ſonis, mire affici. Ergo inualetudo Sauli, iſto remedio imminuta, eſt dolor naturalis, cithara imbelli confutatus. Dauid excuſſit malos ſpiritus, hoc eſt, Saulo reſtituit animi tranquillitatem. Ita Ioſephus explicat, quamuis

m) Kämpfer Iapon. relig. lib. I. c. 10. Lud. Viues ad Auguſtin. de ciuit. lib. 9. c. 2. Porphyr. in Pythagor. § 33. Quinctilian. inſtit. orat. p. 459.

uis etiam ſcribit, Saulum peruaſiſſe, eique inſediſſe perturbationes et ſpiritus maleficos ſuffocantes et ſtrangulantes n). Multum diu ante hunc regem, liene laborantem, Iobi elephantia ſatani tribuitur. Ipſum Dauidem ſatan, ſiue ſuperbia vana, impulit ad populum numerandum, et Iudas proditor, in quem ſatan intrauit, auaritia ſtimulatus eſt o). Spiritus etiam modo dicitur fiducia fortis, modo aemulatio vitioſa, riualitati ſimilis, modo inſtinctus naturae impudicus p), nunc notat timorem, nunc animum torpentem, et veternum, nunc manſuetudinem q). Satan et diabolus ſaepe ſignificant aduerſarium, hominem inimicum et hoſtem r), etiam calumniatorem, et male-

 dicam,

n) 1 Sam. 16. 14 — 16. 23. Capella de nupt. p. 165 — 198. Bochart. Hieroz. p. 461. Saurin. commentar. in S. S. T. 1. 1511 — 1515. Ioſeph. Antiq. lib. 6. c. 11. § 2. c. 8. § 2. o) Iob. c. 2. 6. 7. 1 Chron. 21. 1. 2 Sam. 24. 10. Luc. 22. 3. Io. 13. 27. 2. coll. c. 12. 6. Matth. 26. 15. p) Num. c. 14. 24. c. 5. 14. Oſeæ c. 4. 12. c. 5. 4. q) 2 Tim. 1. 7. Rom. 11. 8. Eſaiæ 29. 10. 1 Cor. 4. 21. r) Io. 6. 70. Matth. 16. 25. c. 13. 28. Eſther. 7. 4. 5. & c. 8. 1.

dicam s). Satan, ſeu nimia gloriae et ſaeculi huius cupido, voluit Petrum cribrare, vt frumentum, hoc eſt, diſſipando perdere. Angelus ſatanae, Paullum tundens, eſt dolor cardiaci. Hymenaeus et Alexander ſatanae traditi, ſeu a re publica Chriſtianorum excluſi ſunt t). Eiusmodi res, quas protuli, notae, teſtatae, et manifeſtae ſunt, ſatane non ſemper in voluminibus diuinis notari ſpirituum malignorum coryphaeum.

§ XVII.

Ratio loquendi ſacra, quod ad daemones, ſtat.

Iudaeorum plurimis, aetate Domini noſtri Ieſu Chriſti, tenacius inhaeſit opinatio, morbos, ſin omnes, grauiores tamen, eſſe ſigna daemonum, in homine latentium, quam ob cauſam tot exſtiterunt tum in ea gente magi, ac veteratores, qui, radicibus, et certis formulis, aliisque eiusmodi ineptiis, vim et potentiam ſeſe daemonum frangere poſſe, clamabant. Si quid ſingulare corpori humano

s) 1 Tim. 3. 6. c. 3. 11. 2 Tim. 3. 3. t) Luc. 22, 32. 2 Cor. 12. 7. 1 Tim. 1. 20. 1 Cor. 5. 5.

no accideret, maxime, ſi quis amentia ſubito flagraret, id non naturalis cauſae erat, ſed daemonis cuiusdam, corpus illud inuadentis. Propterea ſacrarum rerum explicatores vulgo notas loquendi rationes adhibuere, communem ſcribendi vſum ſecuti, praeiudicataeque Iudaeorum opinioni, et auribus, ſermonem accommodarunt, quippe iis non integrum erat, res notare nominibus nouis, vel abdita monſtrare indiciis recentibus, vel fingere cinctutis non exaudita Ebraeis. Licuit, ſemperque licebit, formulas praeſente nota ſignatas, producere, ſine quibus ne familiares quidem cum aliis ſermones poteras conferre. Multae renaſcentur, quae iam cecidere, locutiones, cadentque, quae nunc ſunt in honore, vocabula, ſi volet vſus, penes quem eſt arbitrium, et ius, et norma loquendi. Qui verba noua, quibus ſenſa mentis dicendo exprimat, cupide et appetenter quaerit, qui more patrio dicere faſtidit, quique rationes loquendi inſolitas concioni apportat, is enecat audientium aures, is, velut vrſus, clathris caueae fractis, furit, is doctum et indoctum

doctum fugat, occiditque loquendo. Ipſe Cicero, iam non hominis, ſed eloquentiae, nomen, in philoſophicis, vt vulgus, loquitur; popularibus verbis, ita ipſe praecipit, eſt agendum et vſitatis, cum loquimur de opinione populari, idque eodem modo fecit Panaetius. Sed quoniam, ita idem alio loco, in populari oratione omnis noſtra verſatur oratio, populariter interdum loqui neceſſe erit, et eam legem, quae ſcripto ſancit, quod vult, aut iubendo aut vetando, vt vulgus, appellare u). Nemo ſapiens olim rebus nomina poſuit, quae conſuetudo diuturna non triuerat, nouis rebus ponenda erant nomina noua. Venuſinus poëta, nonnunquam Epicureus, qui, Deos rebus humanis intentos eſſe, negat, canit tamen iracundam Dianam, et errorem Fanaticum, quaſi Diana furoris mater ſit, et Fauni patres ſint morbi comitialis v). Multa vſus inuexit, qui nihil non inuehit. Res eſt adeo violenta, conſuetudo maiorum, vt tibi non ſit

u) Cicero offic. lib. 2. c. 10. de legib. lib. 1. c. 6.
v) Horat. Serm. 1. 5. 101 – 103. Art. poet. vs. 454.

ſit liberum, mutare, quod ſemel receptum eſt, immo frequenter mos, tyrannus ille omnium violentiſſimus, inſulſas obtrudit mortalibus leges. Quod, multo vſu confirmatum, inueterauit, penitusque infixum eſt animis, ſubito illud, ſine detrimento rei publicae magno, tolli non poteſt, verum ita paullatim eſſet ſubmouendum, vt ille reuellit pilos caudae equinae. Igitur loci conſuetudo temperet tua dicta. Si fueris Hieroſolymae, Hieroſolymario loquere more. Qui audierit, te peregrinum ſuis opinatoribus conſentire, fautor vtroque te pollice laudabit. Mitionem quendam age. Perfer et patere, ſuum vel cuique oppidulo pulcrum eſſe. Ingenui eſt, velle bene audire, praeſertim a prudentibus viris, diſſoluti eſt, negligere, quid de ſe iſti ſentiant. Ideo, quod ab aurium approbatione abhorret, fugiendum, ne aliis taedio ſimus. Domeſticus et alienigena Iudaeorum doctor e vagina, vel eburnea, plumbeum eduxiſſet gladium, prudentiamque communem impugnaſſet, qui perſuaſionem de daemonibus tunc dominantem, refellere, refutare, et redarguere, ſibi ſumſiſſet, eumque homun-

munculum, conuiciis et iniuriis affectum et laceratum, multitudo in bipedum nequiſſimum, ſpiritus malos, et exinde bonos, negantem, transformaſſet, Sadducaei quidem ſpiritus, et animas hominum poſt mortem, tollebant, ſed quoniam bona pars eorum in ampliſſimo dignitatis gradu locata erat, plebs non tantum valuit, vt eorum honorem minuat, aut labefactet.

§ XVIII.

Chriſtus more Iudaico locutus eſt.

Verus Soter, qui diſcipulos ſuos prudentiam ſerpentum imitari iubet, et cui Socrates ſapientia cedit, quantum oliuae lenta ſalix, e vita vitae ſocietatem non ſuſtulit, ſed ad Iudaicam gentem in ciuilibus, modo licitis, conſueuit ſe conformare. Cuius in ſermonibus nil affectatum ineſt, ſiquidem rebus vocabula imponit, iam pridem ciuitate donata, et prudens intelligebat, qualem perſonam, cuius dignitas ſuſtinenda erat, non inconcinnus ferret. Vitae communis non ignarus, nemini mouet faſtidia, talemque ſe prae-

praebet, quicum ſermonem plurimum conferas, communices, producasque. Quicquid agit, id conuenit cum vita ſocia, loquitur apte, locis, et temporibus congruenter; neque luxuriantia gentis illius verba compeſcit, neque locutionum nouarum ſtrepitu, hoc tantum proficit, vt, cum aſcenderet in concionem; putet ſe in alium terrarum orbem delatum, neque mellitos verborum globulos amat, vel dicta, quaſi papauere et ſeſamo ſparſa, quibus corpus orationis eneruatur, et cadit. Morem loquendi cum ſociis ſeruat, ad fortunae ſuae ſtatum, quippe cuilibet populo ſua lingua, et prouerbia, quae in conſuetudinem venerunt, ſuauia et grata eſſe ſolent. Liquidus, puroque ſimillimus amni, opes fundit, non affectat eruditi nomen, nemini patulas aures obturat aſcitis nouis rerum vocabulis, quae non produxerat genitor vſus, nec allicit quenquam animantem lenociniis vocum, vel oratione, quaſi calamiſtris, intorta. Nihil profert in lucem, quod vel leuiſſimam praue ſuſpicandi occaſionem ſuppeditet. Inauditum atque inſolens verbum, priſcis Ebraeis non memoratum,

tan-

tanquam ſcopulum, fugit; exinde ab eorum, inter quos viuebat, neque lingua, neque victu, neque veſtitu, diſcedit. Verſatur in celebritate, facit colloquia, et ad haec euocat, cuicunque affabilis, nulli moleſtus, neque vllius inſcientiam ſpernit. More, nec philoſophantium noſtrae aetatis, nec attingentium puluerem eruditum, potius Iudaeorum, ne quis male de ſe exiſtimet, ſermones ſerit, nam exemplo eſt: Deus ſolem ſuum oriri facit. Multas ſimilitudines, quae acuunt palatum, duxit, prout homines audire poterant, nec absque collatione verba fecit, ſeorſum vero diſcipulis ſuis, qui ipſi tunc multa ferre nequibant, omnia enodauit a). Seneca ex re philoſophatur, parabolas, velut imbecillitatis noſtrae adminicula, neceſſarias eſſe, vt diſcentem et audientem in rem praeſentem inducant b). Vnus Soſpitator, qui non venit beatum Iudaeam lingua Ariſtarchi, vel formatum nouas, vetuſtis preſſis, locutiones Galeni, vel doctum naturales cauſas morbo-

a) Matth. 5. 45. Marc. 4. 33. 34. Matth. 13. 34. 35. Io. 16. 12. b) Senec. epiſt. 59.

morborum, tulit ad tempus quoſdam Iudaeorum opinatus, incremento verae doctrinae non contrarios, atque eius legati exemplum de eo ceperunt. Sapientis medici eſt, malis grauioribus medicinam parare, minora interdum tempori committere ſananda; ac viri prudentis eſt, cum illis potiſſimum confligere erroribus, vnde maius periculum erat metuendum, leuiores autem, ex quibus imperita multitudo pendet, tardius extorquere.

§ XIX.

Continuatio eiusdem argumenti.

Sequeſter Dei atque hominum ad tribules ſuos ſeſe conformat, dum, ſatanam, inquit, vidi, fulguris inſtar, lapſum de caelo, hoc eſt, mente perſpexi, a tyrannide et gloria ſua velociſſime caſurum eſſe. Sic rex Babylonius cecidit de caelo, vt Pompeius decidit ex aſtris, ſic draco ille magnus ex caelo deiectus, vt Ate, Dea malorum. Dein ſalutis noſtrae deprecator, Iudaeis accommodatus, ſeptuaginta diſcipulis dat poteſtatem, ſerpentes, ſcorpiosque calcandi, id eſt, ad-

uerſariorum aculeos euellendi, ſeu eos vincendi c). Serpentes ſemper habiti ſunt genii lucorum, vnde Perſius: pinge duos angues, ſacer eſt locus; et Maro de angue: incertus, geniumne loci, famulumne parentis d). Ideo diuinitatis erat, ſerpentes tractare impune, aut calcare; ob hoc Melitenſes Paullum, vipera ſine vllo malo correptum, dicunt Deum. Euripides in Bacchis Bacchum, vix editum, ſerpentibus coronat, et Flaccus canit, Biſtonides ſine noxa crines nodo viperino coërcuiſſe e). Tandem ad populares ſuos ſeſe liberator hominum accommodat, dum per parabolam ait: quando ſpiritus malus migrauit ex homine, peragrat loca aquis carentia, requietem quaerens, qua non inuenta, ſtatuit domum ſuam repetere, quam vbi vacantem, verſam, ornatamque nactus, vadit aſcitum ſibi ſeptem alios

c) Luc. 10. 18. 19. Eſai. 14. 12. coll. Cicer. ad Attic. lib. 2. epiſt. 21. Apocalyps. 12. 8. coll. Homer. Iliad. 19. 125. d) Iſidor. orig. lib. 12. c. 4. Perſius 1. 1. 13. Virgil. Aen. 5. 95. e) Actor. 28, 6. Horat. lib. 2. od. 19. vs. 19. 20.

alios ſpiritus, ſe peiores, fitque poſterior hominis illius conditio priore deterior; hoc eſt, Petro enucleante, ſi, cognitione Chriſti, vitae vnius auctoris, rebus humanis elapſi, iisdem rurſus implicati vincuntur, fit horum poſterior vita priore deterior, ſatius erat, rectam viam neſcire, quam, ea cognita, cedere retro f).

§ XX.

Scriptores diuini receptum loquendi morem iure ſeruant.

Rerum ſacrarum pronuntiatores verba inuite recedentia, et Palladio cariora, quaeque tum adhuc intra penetralia verſabantur, loco non mouerunt, quae virtus ex prouidendo eſt, nam Caiaphas vaticinatus eſſe, et ancillula, quae ſpiritum Pythonis, ſeu diuinationis habebat, fatidica, dicitur, cum tamen, neque ille Sadducaeus, neque haec, ſpiritu quodam acti et afflati ſint g). Ipſi inter

f) Matth. 12. 43. 2 Petr. 2. 20 – 22. Eiſenmenger l. c. P. 2. 456. cfr. § noſter 13. p. 123. g) Io. 11. 51. Caluinus, Erasmus & Beauſobrius ad Actor. 16. 16. 18. cfr. § noſtr. 10. p. 107.

nos eruditi omni doctrina, quos etiam aeſtus conſuetudinis abſorbet, cum multis ſcribunt, et loquuntur, at cum paucis ſentiunt: verbi cauſa: ſol oritur et occidit. Galeni noſtrae aetatis morbum Franco-Gallicum vocant Venerium, et phlegmonem, Antonii ignem, etſi Venerem, Deam nullam eſſe, Antoniique reliquiarum nihil exſtare, vel, ſi quicquam exſtet, nil proficere, ſciunt. Quodſi medicus vel cauſam morbi et remedia eius norit, ſe tamen ad aegri auditum et viſum ſcite conformat. Iudaei ſemper fere, vt hodieque nonnulli, daemonem, tanquam conuicium, in ore habere, vbi nullus erat; quam obtrectationem maleuolentiſſimam ipſi Ieſu, quia noua eos docebat, et Ioanni, quia duram et non conſonantem vitam ducebat, ingerere, Chriſtumque, Samaritanum, licet ſcirent, non eſſe, appellare h). Paullus, Iudaeorum et Graecorum moribus conformatus, ſciuit, quomodo vnicuique ſit reſpondendum. Is, gentilium doctor, ſibi nullam loquendi formam finxit, ſed rerum imagines, ab aliis ef-

fictas

h) Marc. 3. 22. 30. Io. 10. 20. c. 7. 20. c. 8. 48 — 52. Matth. 11. 18. Io. 8. 48.

fictas, enuntiare conſultius eſſe putauit; quod in eius libris elucet. Studebat, vt cuiuis placeret, quoad cultus Chriſti pius id permittebat, erat Iudaeis vt Iudaeus, legi ſubiectis, vt legi ſubditus, infirmis perinde ac infirmus, vt aliquos ſeruaret; neque vlla in re affectabat quandam moroſitatem, incudi ſimilem, quae, cedere neſcia, malleum repercutit. Illi caeleſtes, terreſtres et inferi, quorum meminit, ad illud, noſti quod, iudicium, exponendi ſunt i).

§ XXI.

De formula loquendi ſacra: daemonem eiicere.

Quod ad illam loquendi formulam ſacram: daemonem eiicere; attinet, eadem in Ioſepho, Cebete, Luciano, aliisque multis, de curatione occurrit k). Neminem hoc fugerit, niſi in hac re hoſpitem. Herodotus, et Arrianus etiam, verbum eiicere adiungunt inanimatis l). At graeca hodie non legun-

i) 1 Cor. 9. 19—22. c. 10. 33. Coloſſ. 4. 5. Philipp. 2. 9. 10. k) Ioſeph. A. Iud. lib. 6. c. 11. § 2. Cebet. tab. 199. 191. Lucian. Philopſ. p. 338. l) Herodot. p. 233. Arrian. in Epictet. lib. 2. c. 17.

leguntur, ideo Latii ſitientibus propino: excutere pectore Deum m), elidere neruis morbum et emouere n) depellere, expellere morbum, tetros praeſenti numine morbos depellere, fugare, et abigere o), animam expellere fontem per vulnera mille p), ex animo eiicere amorem q), eiicere ſuperſtitionis ſtirpes et animi mollitiem r), de aliquo animum eiicere omnem s) abigere febres t), irrepſit, diſceſſit febris, macies et noua febrium cohors incubuit terris, letum corripuit gradum u), lemures domo extra ianuam eiicere v).

§ XXII.

m) Virgil. Aen. 6. 79. n) Horat. lib. 1. epiſt. 15. 6. Serm. 2. 3. 27. o) Cicer. ad familiar. lib. 7. epiſt. 26. Horat. lib. 2. epiſt. 2. 137. Seren. Sammonic. prooem. vs. 8. de medicin. c. 11. v. 156. c. 53. 955. p) Ouid. met. lib. 6. vs. 618. q) Cicer. pro Roſc. Amerin. c. 19. r) Id. de diuinat. lib. 2. 72. Terent. Eunuch. Act. 2. Sc. 1. 16. s) Idem Heautontim. Act. 5. Sc. 2. vs. 2. t) Plinius 25. 9. u) Horat. 1. od. 3. 30. Cicer. ad Attic. 7. 2. v) Varro de vit. popul. Rom. lib. 1.

§ XXII.

De daemoniacis in libris diuinis.

Accuratius tenendum eſt, quod non ſatis monere poſſum, omnes oraculorum diuinorum explicatores non vltra ſex, vel ſeptem, daemoniacos commemorare, quos, vel omnes, vel quosdam, corporis et animi morbis extraordinariis, et atrocioribus, obnoxios fuiſſe, praeter Hobbeſium, Beckerum et Pomponatium, oſtendunt Stoſchius, Samuel et Iacobus Basnagii, Beniamin Daillonius, eiusque frater, Ioſephus Mede, Anglus ſine nomine, Thomas Bartholinus, Andreas Ottomarus Göliken, Bernardus Lamyus, et Ioannes Salomon Semler x). Vulgari

x) Hobbes Leuiath. c. 8. c. 45. Becker faſcin. mund. lib. 4. c. 7. 8. 9. Pomponat. de immortalit. animæ p. 135. & de incantat. c. 10. Stoſch. in concord. ration. et fidei. Sam. Basnag. exercitat. contra Baronium p. 635. 637. Iac. Basnag. hiſt. Iud. lib. 5. p. 705. Beni. de Daillon examen de l'oppreſſion des Reformés en France. Ei. frater in dæmonologia or a treatiſe of Spirits. Mede oper. p. 28. Anglus anonym. an enquiry into the Meaning

gari Iudaeorum arbitratu, femina quaedam annos duodeuiginti ſic incurua, vt ſe erigere non poſſet, ab hac vero infirmitate poſt ſoluta, dicitur habere ſpiritum debilitatis, et diabolo vincta eſſe y). Sic homo ille impurus habet ſpiritum impurum, et ſpiritus ex eo diſceſſit, vt lepra ab alio diſceſſit, hac illuuie ſcabro z). Cananaea mulier, filia, inquit, mea daemone vexatur, tamen hanc conſanuiſſe legimus a). Daemoniaci ſemper aegris iunguntur ſanati, et nullus daemon eiectus fuit ſine emoto, plerumque grauiore morbo b). Cerritos praecipue, daemonem habere, exiſtimatum. Ieſus interrogat furibundum, non daemonem, neque daemon

ning of the Demoniacks in the Nevv Teſtament, & a further Enquiry &c. Bartholin. de morb. biblic. p. 77. 79. Goliken in hiſtor. med. vniuerſ. p. 79. Lamy harmon. euangel. p. 218. & de vnica Magdalena p. 644. Semler de dæmoniacis, quorum in euangeliis fit mentio.

y) Luc. 13. 11 — 14. 16. cfr. Euripid. Iphigenia in Tauris vs. 1317. z) Marc. 1. 23. 26. 42. Luc. 4. 33. c. 5. 13. Marc. 3. 11. 12. a) Matth. 15. 22. 28. b) Matth. 17. 18. Marc. 1. 34. Luc. 4. 40. 41. c. 7. 21. c. 8. 2. c. 13. 32.

daemon locutus eſt ex mente captis, nec lacerauit, nec verberauit, ſed ipſe furioſus. Gadarenſis ille lymphata mente furebat, ita, vt nudus in nulla domo maneret, vincula disrumperet, ſe a legione, ſeu multis millibus, daemonum putaret poſſeſſum, cui optimus animi et corporis medicus ſe prudentiſſime accommodat c). Matthaeus duo memorat daemoniacos ſine pugna cum Marco et Luca, qui vnum nominant ſaeuiorem, vel altero nobiliorem; et hi daemones, ſeu daemoniaci ipſi, Chriſto, vtpote Iudaeo, gratiam quandam facturi, venia impetrata, porcos, ſiue fuſtibus prehenſis, ſiue manibus paſſis, et incondito clamore, ad mare vicinum Galilaeae magno motu adegerunt, vt totus grex praeceps voraginibus profundis ſubmergeretur d). Matthaeus, Marcus et Lucas, liberationem a daemoniis deſcribunt velut curationem e). Matthaeus praeterea ad daemoniacos et male affectos applicat dictum

 ab

c) Luc. 8. 27 – 39. Marc. 5. 3. 8. 9. 15. 16. d) Matth. 8. vs. 28 – 32. e) Matth. 4. 23. 24. Marc. 6. 13. Act. 5. 16.

ab Eſaia: infirmitates noſtras et morbos noſtros ſuſcepit, tulitque, et ipſe Ieſus renunciari quidem Ioanni iubet, caecos videre, claudos ambulare, ſurdos audire, pereſos lepra purgatos, mortuosque ad vitam reuocatos eſſe, ſed de extruſis daemonibus, quod mirum, tacet f). Ex V. T. neque vllum daemonem expulſum, neque vllam vaticinationem de daemonibus, a Meſſia eiectandis, commemorare poſſum, licet vates ſacri longe minora praedixerint. Neque partium Meſſiae erat, populi locutiones, quaſi ab Euandri matre acceptas, emendare, cum ipſi longe alia, maioris et maximi momenti, perficienda eſſent. Percipe porro, quod Ieſus febrem, ventos, ac lacum increpuerit, velut daemonem obiurgauit g). Si Maria Magdalena, ex qua ſeptem daemonia exierant, ſeu multi morbi expulſi, eadem fuerit cum impudica, quod tamen negat Deylingius, tum daemonia interpretari liceret animi vitia h). Petro

f) Ieſai 53. 4. Matth. 8. 16. 17. c. 11. vs. 2 — 5.
g) Matth. 8. 26. Luc. 4. 39. Marc. 9. 25.
h) Luc. 8. 2. coll. c. 7. 37. Deyling. obſeruat. ſacr. P. 3. p. 227. ſeq.

tro etiam adductos legimus aegrotos, et ab immundis ſpiritibus vexatos, quorum corpora; quod animaduertendum eſt, omnia curabantur i).

§ XXIII.

De lunatico puero.

Puer lunaticus dicitur quidem ſpiritu corripi, et ſpiritum mutum habere, tamen ſanatus eſt k). Surdo huic, et muto a die natali, accreuerat morbus comitialis, a luna appellatus, vel quia certis lunae temporibus recrudeſcit, vel quia interlunio concepti, atque nati, huic miſeriae miſerrimae ſubiecti putabantur. Morbus iſte Herculeus, quem Artemidorus lunae acceptum ferri ait, creſcente hac, aggraueſcit, maxime orbe eius pleno, quod tum plenius cerebrum eſt humoribus. Luna male collocata, Iulii Firmici iudicio, aut ſpaſticos facit, aut caducos l). Iuuencus canit: curſus lunae natum

i) Act. 5. 16. coll. c. 19. 12. c. 10. 38. k) Matth. 17. 15. 18. c. 12. 22. Marc. 9. 17. 25. Luc. 9. 39. 42. c. 11. 14. l) Iſidor. Hiſpalenſ. orig. lib. 10. c. 10. Iul. Firmic. Matheſ. lib. 4.

tum mihi torquet daemonis arte; et Horatius: vrget fanaticus error et iracunda Diana m). Percuſſi a Faunis, ſeu lymphatico ſpiritu agitati, fanaticum errorem patii feruntur, nam Fauni et reliqui manes, excepto vno Tireſia, fatui erant. Fanaticus error eſt morbus ſacer, quem etiam Herculi Incuboni, ſeu Ephialtae, tribuit ſtolida veterum credulitas. Diana, ſiue Luna, ſiue Hecate, ſiue Proſerpina, nocturna et irritabilis Dea, Mania, mater larium, eſſe habebatur, et vexare infantes atque adultos ſingulis interluniis, ac deducta ſuo curru, in furorem vertere, praecipue ob ſacra eius neglecta n). De caduco, in primis a Proſerpina repetito, liquet Hippocrati Coo, vulgi etiam arbitratum notanti, ſecundum quem indoles et cauſa huius mali erat diuina o). Galenus, aliqui, inquit, antiquorum epilepſiam nominauerunt daemonem, aliqui lunam

m) Iuuenc. lib. 3. lib. 5. vs. 243. Horat. Ars Poet. vs. 454. n) Vet. Schol. ad Horat l. c & Baxter ad eund. o) Hippocrat. de aere, aquis & locis § 4. & de morbo ſacro.

nam, quia motu lunae accidere ſolet, et Plato huic morbo impoſuit nomen daemonis, quod cerebro, loco Dei, manifeſte nocet p). Syrus ille ex Palaeſtina apud Lucianum multos, qui ad lunam concidunt, et oculos diſtorquent, ſpumaque os opplent, erigit, atque remittit ſanos q). Antiquitas opinioni temere addixit fidem, arbores etiam ſidere afflari r), et ſi qua pars corporis ſubito et celerrime naturali motu priuaretur, e caelo, vi quadam ſideris, prouenire putauit, quem morbum ſeu ſiderationem, ſphacelismum in equis dici ait, ac deſcribit, et cum hominum epilepſia comparat Apſyrtus. Zoilo lingua ſidere ſubito percuſſa eſt, ſiue ſubito obmutuit. Etſi cognationem, quae caniculae ſit cum rabie canum aeſtiua, Seruius garrit, tamen ſirius nunquam ſitim morbosque mortalibus aegris tulit. Totum hoc Chaldaicum genus repudiat Cicero, ipſosque Deos, qui ſtellas mo-
uere

p) Galen. Vol. 9. P. 2. p 402. q) Lucian. in philopſeud. p. 337. r) Plinii hiſt. nat. 17. 24.

uere dicti ſunt, a tanto labore, ſtudio et cura, tandem liberat Copernicus s).

§ XXIV.

Noli cum aliis concertare de iſtis daemonibus.

Iam tales corporis et animi morbos, quibus nulla medela, horae momento ocius, ſine remediis, verbo tollere, manet ſemper idem ſignum diuinitatis, omni luce clarius, ac ſi ſpiritus quidam mali exturbati fuerint. Quodſi forſan quis hanc daemonum expulſionem, ceu maxime neceſſariam, in argumenta, e quibus diuina Chriſti miſſio debeat intelligi, referendam eſſe autumet, is perpendat velim, innumerabilia ſeruatoris noſtri facta praeclara et glorioſa, quibus diuinitatem ſuam extendit, litteris conſignari, ſtudio omiſſa eſſe t). Morbos pernicioſiores et inueteratos, quibus mederi nemo poterat, ea, qua dixi, ratione, neruis et cerebro,

s) Apſyrt. hippiatr. 2. 109. Martial. lib. 11. 85. 1. lib. 7. 92. 9. Seruius ad Virgil. Aen. 10. 273. 274. Cic. diuinat. lib. 2. c. 42 — 47. t) Ioann. euang. c. 20. 30. c. 21. 25.

bro, elidere, vel ſpiritus quosdam fugare, id vtrumque excedit vires humanas, et eſt argumentum certiſſimum, vt diuinam potentiam intelligamus. Ideo nollem, viri ex omni diſciplina docti, ſeſe coram frangerent altercatione eiusmodi, ex qua licet pauca deguſtemus. Bona pars eorum, fuiſſe ea tempeſtate, quos malus inuaſerit ſpiritus, inquietarit, vexaueritque, certum habet, id circo liberatos daemonibus nequaquam fuiſſe cenſet morboſos naturales, hocque apparere aperte in iis, quae malo ſpiritui attribuantur, nam exemplo eſt: furor veſani, vincula, et catenas, rumpentis, qui mere naturalis non potuit eſſe. Potuit. Alia exempla non ſunt inaudita. Ipſe nuper in eo homine haeſitabam. Curſim pergunt alii ad Chriſtum affirmantem; nomine meo daemonia exterminabunt, aegroti, quibus manus imponent, bene habebunt; pergunt ad daemonum eiectionem ſeparatam ab aegrotis, oleo vnctis, et ſanatis u). Sed ſunt morbi aduenientes, creſcentesque, et deuius vel amens differt crude-

u) Marc. c. 5. 2 – 4. c. 16. 17. 18. c. 6. 13.

crudeli et furibundo. Leuiter aegrotans leniter curandus, morbis autem grauioribus, ſeu daemoniis, longe aliae curationes adhibendae ſunt. Impenſius quidam inſtant, noxiam rei chriſtianae videri explicationem eorum, qui tantum ſanationes intelligunt. Quod videtur, non eſt. Inter malum opinatum et verum tanta eſt, quanta maxima poteſt eſſe, diſtantia. Nihil noxae hic metuimus. Vrgent, repertores rerum ſacrarum multas quidem voces, gentilibus Graecis notas, adhibuiſſe, verum, ob additas notiones nouas, non ſemper cum Iudaeis, et Deorum cultoribus, eſſe locutos, potius nonnunquam ſpiritus malos, a morbis ſecernendos, diſtinxiſſe. Incaute omnino inconſulteque ageret, qui, verborum et formularum ſpecie allectus et inuitatus, ſacras locutiones et profanas in vnum confunderet, nam licet Graeci, Romani et Iudaei, iisdem loquendi formulis, quae in ſacris voluminibus exſtant, vtantur, ſaepe tamen aliam, ſi contextum verborum non diſſoluas, ſubiectam iis eſſe poteſtatem, eſt manifeſtum. In

qua-

qualibet interpretatione ſequere mentem auctoris, non eorum, qui ab illius haereſi et tempore remoti vixerunt, verbisque, alio ſaepe ſenſu poſitis, aliquid affingere, friuolum eſt. Quaelibet philoſophorum etiam familia habet vocabula certa, habet ſententias ſibi priuas, iisdem non raro loquendi rationibus enuntiatas; quare ni ex cuiusuis ſcholae praeſcripto orationem interpreteris, ſane facies, quod reprehendere poſſim, quin tu inde exſculpes, quae iſti minime inſunt.

§ XXV.

Alii quoque daemonia exturbarunt.

Ipſi Phariſaeorum diſcipuli daemonia extruſiſſe Chriſto dicuntur v). Tales erant Sceuae filii nebulonès, qui, lucelli cauſa, adiurationibus et magia populum deludebant x). Quid? quod Theoſebius, Hieroclis diſcipulus, theurgiae non peritus, daemonem, manſuetioribus non parentem verbis, iurando ex vxore vel ſua, vel Hieroclis Alexandrini, expu-

v) Marc. 9. 38. Matth. 12. 27. Luc 9. 49. x) Act. 19. 13. 14.

expulit, adiurans eum per ſolis radios et Deum Ebraeorum, quo facto, daemon emigrauit, ſtatimque exſiliit, clamans: colere ſe quidem Deos, hunc vero ſe timere y). Similiter daemonem quendam, Athenis perpetuo ridentem, minis Apollonii Tyanei, extra corpus cuiusdam eliminatum, ſtatuam ex illis, quae porticum in vrbe regalem cingebant, deturbaſſe, legere memini. Idem Apollonius Cappadox vrbem Epheſum, ſene quodam mendico lapidibus obruto, peſte liberaſſe fertur, hunc enim mendiciſſimum luem peſtiferam excitaſſe, ac daemonem fuiſſe, in piloſum poſtea canem repente transformatum, iactabat Apollonius z). Hic homo fallax, plebis decipiendae auidus, haud dubie ſtatuam illam in porticu regia ita, vt in tempore caderet, ante labefactauit, ſenemque illum innocentem, honori ſuo conſulens, lapidibus opprimi iuſſit, vulgoque perſuaſit poſtea, illum canis, qui forte occurrebat, formam induiſſe.

§ XXVI.

y) Brucker hiſt. philoſ. T. 2. p. 306. z) Philoſtrat. de vita Apollonii lib. 10. c. 20. lib. 4. c. 10.

§ XXVI.

De Gnoſticorum daemoniis.

Praecipue Gnoſtici, vanis Aegyptiorum artibus addicti, morbos, ceu effecta daemonum, per voces barbaras, per lapides, per effigies pendulas, per radices, et alia id genus expellere ſe poſſe, gloriabantur, quod iis obiiciunt puriores Chriſtiani. Plotinus gentilis hoc iis dat crimini, quod omnia corporum mala, daemones eſſe, neque tam medicamentis, quam carminibus, tolli debere ducerent, vt habeantur praeſtantiores, quippe conſueuit rude vulgus magorum vires admirari, prudentibus tamen viris nunquam perſuadebunt, humanos morbos non naſci vel ex laboribus, vel ſaturitate, vel indigentia. Declarant, ita pergit, hoc nobis curationes ipſae morborum, vel remediis per aluum eductorum, vel ieiunio, vel miſſo ſanguine, remotorum a). Recentiores Platonici, ex ſingulari erga Pythagoram voluntate, ſubtilius etiam atque ille, de viri-

a) Origenes contra Celſ. p. 668. Plotin. Ennead. 2 lib. 9. c. 14.

viribus et variis daemonum generibus, quod ex Iamblicho et aliis colligo, diſſerebant. Quo magis Plotinum miror, Gnoſticorum errorem, quem Porphyrius, eius diſcipulus, libro de abſtinentia teſte, non effugit, dente carpſiſſe. Tota Gnoſticorum familia, varias licet in ſectas diuiſa eſſet, philoſophiam barbaram, hoc eſt, nugas Chaldaeorum, Babyloniorum et Aegyptiorum ſequebatur, idque vnum curabat, vt hac diſciplina Chriſtianam religionem conglutinaret, et quadam ratione coniungeret. Hiſce ſtudiis aſſuetus ille Simon, princeps factionis Gnoſticae falſo habitus, qui cum Philippum, morborum victorem, videret, ſibi profuturum ratus, ſi Ieſu addictis ſeſe iungeret. Haud dubie homo auidior, quam ſatis eſt, gloriolae et dulcis lucelli, ſacrum lauacrum cum barbaris luſtrationibus contendit, quas malum quoduis procul arcere, et genios oſores ſubigere, ſtolidi credebant, quippe tirones in magia ante luſtratos fuiſſe, id Lucianus Necyomantia patefacit et illuſtrat. Dux ille Simon, et quaſi ſignifer cohortis nouae futurus,

turus, animaduertens, Petrum aliis virtutem agendi miniſtrare, quae ſuper humanas vires multum excellunt, inſtat et flagitat, vt eandem vim ſibi concederet, ſibique conceſſam cum aliis poſſet communicare, argentoque ſanctum legatum inuadit, confidens, eum poſſe perduci, vt ſibi illam impertiret. At Petri reprehenſio non leuis improbitatem coarguit, deletque b). Meſſaliani, ſeu Euchetae, grex Chriſtianorum ſaeculo quarto fanaticus, ſatanam, precibus attenuarunt, attenuatumque modo fumi, modo ſcrofae inſtar, cum porculis ex hara productae, ore hominis exeuntem, viderunt c).

§ XXVII.

De daemoniacis puriorum veterum Chriſtianorum.

Neque haec opinio in iis tantum permanſit, qui nefandis erroribus caeleſtem doctrinam corruperunt, ſed in ipſis quoque purio-

b) Act. 8. 9 – 24. c) Danaeus in Auguſt. de haeres. p. 286.

purioribus veteris coetus noſtri doctoribus ſit multos approbatores, Tatianum, Tertullianum, Minutium Felicem, Cyprianum, et Lactantium, inuenit d). Iuſtinus Martyr ex angelorum, cibis ignotis nutritorum, et mulierum amplexibus, natos eſſe daemones, ſtatuit e). Antiqui Chriſtianorum antiſtites et magiſtri multa ex Platonicorum, et his affinium, philoſophorum praeceptis in ſanctiorem transtulere diſciplinam, quippe in illorum ſcriptis eadem fere de malorum geniorum in corpora et animos hominum poteſtate leguntur, quae in Platonicorum libris, nec morborum facile aliquid aut vitiorum erat, cuius cauſam et culpam non in daemonem aliquem conferrent. Lege Paſtorem, quem Hermas, neſcio quis, primo iam exarauit ſaeculo, et adde Tertulliani Apologeticum, et quae Potterus ad Cle-

d) Tertullian. apologet. c. 22. Lactant inſtitut. diuin. lib. 2. c. 15. Minut. Felix in Octauio c. 27. Cyprian. de idolor. vanitate p. 226. Tatiani orat. aduerſus Graecos § 10. e) Iuſtin. dialog. cum Tryphon. & Apol. 1. init.

Clementem Alexandrinum collegit f). Origenes, cum veteribus Chriſtianis, ſententiam fouet, daemones eſſe peſtis, morborum, caritatis annonae, omnium calamitatum, bellique parentes, quibus, tanquam carnificibus, numen iuſtum permiſerit, vt homines violent, et affligant; narratque, Chriſtianos eiicere daemones ex hominum animis, ex animalibus, et ex locis, in quibus habitarunt g). Ex hac perſuaſione, quae magnam olim telluris partem peruaſerat, fluxit turpis et perantiqua ſuperſtitio, morbos certis nominibus, vocabulis barbaris, carmine, gemmis, amuletis, aliisque ineptiis poſſe domari et expelli. Chriſtiani, qui, recitatione nominum diuinorum, iacentes ſuſcitare voluerunt, cenſuere omnino, latere in aegrotantium corporibus certos daemones, iſtius miſeriae auctores, qui pronuntiatis terribilibus ſonis, aut viſis modo in charta quadam venerandis nominibus, vel ſententiis, ad emigrandum

f) Tertullian. l. c. Potter ad Clement. p. 174. g) Origenes contra Celſ. lib. 1. p. 23. 24. lib. 8. p. 844. lib. 7. p. 730. p. 805. & not. Moshem.

dum compelli queant. Auguſtini aeuo, nullum certius remedium febris eſſe, Chriſtiani rebantur, quam euangelii librum ad caput ponere h). Neque aliud ſibi voluiſſe puto, qui febres voce Abracadabra deduci corporibus poſſe confidebant.

§ XXVIII.

De eodem argumento.

Inter minores Chriſtianorum ordines, ſaeculo tertio natos, ſunt etiam Exorciſtae, quos opinatio de geniis in vulgus edita, atque ad ſenſum politiae ſanctae penetrata, pepererat. Concurrunt multa exempla, quae exiſtimationem de daemonibus malis exaugent, non modo corpora hominum cupide appetentibus, vitioſosque in peccandum inſtigantibus, verum etiam de iisdem voce euocatis atque emiſſis. Fictus ille ſcriptor, qui venerabili Clementis nomine Recognitiones diuulgauit, cantilenam iſtam de geniis ex ſchola Alexandrina, tum eruditionis ſede, ſibi inſuſurratam canit, quem, ſi cum Plo-

h) Auguſtini Tractat 7. in Ioannem p. 252.

Plotino, Porphyrio et Iamblicho, gentilibus, eadem cantiuncula irretitis, conferas, auſcultabis, vel inuitus, tinnula voce cum illis concinentem. Docet enim, ſtellas eſſe animatas, credit, daemones vota et preces noſtras audire, iisque annuere, atque ſacrificiorum nidore paſci; ideo monet, ſacrificia animalium, quibus illi inuitati adducantur, et conuiuia, poſt rem diuinam celebrata, fugienda eſſe, carne interdicit, cibo te ſaepius abſtineas praecipit, ſuadet panem et aquas maxime rerum ſublimium ſpeculatori, tradit, aërem, aquam et ignem, vno nomine, omnia, mente quadam gaudere, noſtrasque animas, ab ipſo ortu, rerum formis, omniumque doctrinarum elementis, eſſe imbutas. Propria eſt ea praeceptio Platonicorum. Licet iſte homo quaedam Sabinorum ſomnia enarret, tamen eſt religionis noſtrae defenſor et propugnator, minime nauci faciendus, quippe aliorum diligentia bene inſtitutus, multis aequalibus anteit ingenio et perſpicuitate. Is, contra aduerſariorum impetum et incurſionem, doctrinam ſanctiſſimam armis philoſophicis inſtru-

ſtruit, de pactione hoſtium philoſophorum glorioſe triumphaturus. Sed, pro dolor, tantum degenerat a Chriſtianis primaeuis, vt morbum, ſalutaribus medicamentis victu ſacilem, veneno expugnare, et partes illaeſas vitiatis addere, corpusque febricitans, maiore membrorum parte mutilare, atque immedicabili cancro afficere, audacia infelici auſus ſit i). Multi faciunt multa, temeritate inconſideratiſſima, quae florentis aetatis eſſe ſolet, ſine iudicio vel modo, potius impetu quodam, ad refellendum ducuntur. Iuſtinus Martyr, ſaeculo ſecundo, angelis tribuit prouidentiam, concubitus mulierum, filios, ſeu daemones k).

§ XXIX.

Pergo ad Chriſtianorum veterum genios.

Saeculo tertio homines chriſtiani abſtinentiam, fugamque carnis et vini, potiſſimum diebus ſtatis atque ſollemnibus, nimium commendant, et corpus fame, quae dae-

i) Recognit. homil. 3. 9. 10. 11. 12. 15. 16. 17. k) Dallaeus de vſu patrum p. 255.

daemones domo pellat foras, ſubigendum hortantur, caelibem lectum geniali praeoptant, tutiorem nempe a geniis, amore feminarum ardentibus, praecipiunt conſuetudinem cum legitima coniuge vel tollendam, vel ſaepius interrumpendam. Hinc vita caelebs, quam nonnulli quaſi caelitem dicunt, ſacrorum miniſtris, noxio quodam diuino afflatu nunquam concitandis, imperata, hinc laus Hypatiae, a marito Iſidoro integrae, Cyrilli Alexandrini aetate, ſeu ſaeculo quinto. Inde multi vxores ſuas ſororum loco habere, hocque nomine appellare, inde alii, prole creata, a coniugibus ſeſe abſtinere. Quem morem Pythagorei copioſiſſime tenuerunt. Ab eodem daemonum capite mulieres iſtas arceſſo, quae ſubintroductae et dilectae audiunt. Sileo quosdam ſacri lauacri ritus, taceo vetitam precum communitatem cum initiandis, tego alia multa, quae a fonte geniorum Pythagorae et Platonis deriuarem. Syneſius, ſaeculo quinto, vir magnae auctoritatis, Hypatiae celebris Platonicae auditor, poſt Chriſti aſſecla, multos diſciplinae noſtrae

noſtrae neruos falce iſta philoſophica incidit l), nam nobis Platonem, Demoſthenem, et Pindarum, Chriſtiano ore loquentes dedit m). Clemens Alexandrinus, ſaeculo tertio, qui doctrinae copia multis antecellit, plenus, teſte Hieronymo, eruditionis ſacrae et profanae, philoſophia quoque profana libros ſuos magis ornare ſtuduit, quam theologum Chriſtianum decet n). Is angelorum praefecturas, iuſſu, vt loquitur, diuino et antiquo, in gentes et ciuitates diſtributas, recenſet, ſingulisque hominibus, ex illis gentium angelis, quosdam deſtinat. Idem, doctrinae ſanctae et Platonis hac in re conſenſionem oſtenſurus, non veretur declarare, animas omnes ſorte quadam vitam eligere, atque ſingulas ad Lacheſin accedere, hanc vero ſimul daemonem electum mittere, vitae cuſtodem o).

§ XXX.

l) Socrates hiſt. eccleſ. lib. 7. c. 15. Petauius ad Syneſ. 1. Moshem. diſſ. hiſt. eccleſ. Vol. 1. p. 175. 212–215. m) Cauſin. de eloquent. ſacra & human. p. 174. n) Caue hiſt. litter. p. 40. Elias du Pin. Biblioth. Auct. eccleſ. p. 234. o) Clem. Alex. Strom. p. 499. 505. 432.

§ XXX.

Quid ceteri Chriſtianorum antiſtites de geniis ſenſerint?

Baſilius M. ſaeculo quarto, quem chorus veneratur Chriſtianae antiquitatis, et cui plaudit magna eruditorum corona, etiam cuiuis genti, ſingulisque hominibus, ſuos donat cuſtodes angelos, vnicuique praeſentes, paedagogos et quaſi paſtores, morumque gubernatores p). Hilarius eodem ſaeculo multa a Graecis et Latinis mutuatus, praeter opiniones, quas aucupatur, paradoxas ſeu admirabiles, tinnit idem q), nam coetibus Chriſtianorum Aſianis praeficit angelos, quibus omne hoc vacuum opinatum replet, nihilque eſſe firmat, quod iſti, vtpote miniſtri diuini, non incolant; credit, eorum cognitione tinctum non peccare, nec furari, nec adulterari, quod illi inſpiciunt actiones et voluntatem, praedicat eorum choros et plenum miniſteriis caeleſtibus mundum r). Nec

p) Caue hiſt. litter. p. 152. q) Caue l. c. p. 135. Cauſin. l. c. p. 173. r) Baſil. aduerſ. Eunom. lib. 3 Hilarius in Pſalm. 2. 61. 129. 130. 118.

Nec diſcrepat Gregorius Nazianzenus, eodem ſaeculo, vir in quouis ſcientiarum genere praeſtantiſſimus, in theologia, docente Philotheo, ſummus, quippe angelorum praefecturas ita partitur, vt aliis alias terrae habitatae regiones aſſignet, aliis curam Conſtantinopolis vrbis et coetuum Chriſtianorum committat, quibus etiam cuſtodibus, ſede iſta abiturus, dicit vale s). Iudaei eadem hauſerunt ex inciſo quodam libri diuini t). Ambroſius, aequalis Gregorio illi, qui ſuppreſſis loliis, flores decerpſiſſe, et immortalis, et mellifer dicitur, geniorum tutela omnes conciones Chriſtianas beat, amoremque impurum diſſuadet et dehortatur, quod omnia angelorum ſunt plena u). Epiphanius, ſaeculo quinto, narrationibus nimis credulus, a Dionyſio Petauio, dictis plurimis caſtigatus, regna et gentes angelis ſubiicit, quorum quatuor apud Euphratem in Aſſy-

s) Caue l. c. p. 156. Gregor. Nazianz. de theol. orat. 2. 35. t) Deut. 32. 8. u) Caue l. c. p. 166. Eraſm. l 28. ep. 3. Dallaeus de vſu patrum p. 270. Ambros. in Pſalm. 118.

Aſſyriis, Babyloniis, Medis et Perſis reſideant. Hieronymus eius aequalis, theologorum ſui aeui facile princeps, virginitatem immoderatis laudibus effert, atque de nuptiis minus honeſte, ac verecunde, ſentire videtur, ſiquidem mulieres, quae ſecundas nuptias repetunt, cani ad vomitum, ſuique lotae ad volutabrum reuertenti, comparare non erubeſcit. Ratio, quam iam edisserui, in promtu eſt. Exinde loquitur de cuſtode et comite proprio admirabilis feminae Paullae. Tandem Thomas Campanella, ſaeculo decimo ſexto, certum habet, cuiusuis imperii deuicti angelum ad populum victorem tranſire v).

§ XXXI.

De angelo gentilium, et de iis, qui miſcent ſacra profanis.

Caſaubonus notat, vocem angelus, ab ethnicis aeui recentioris, Chriſtiano demum ſen-

v) Dallaeus l. c. p. 272. 274. Caue l. c. p. 170. Epiphan. haeres. 51. Hieronym. ad Euſtach. epitaph. Paullae. Campanell. de monarch. Hiſpan. c. 3.

ſenſu, adhibitam eſſe, ſed huic legi intercedit Tanaquillus Faber, pugnatque, illud vocabulum eadem, qua vſurpatur a Chriſtianis, ſignificatione, exſtare in profanis litteris, Chriſto etiam antiquioribus, citatque in rem ſuam Ariſtidem et Platonem x). Verum Ariſtides rhetor, qui Mineruam dicit, angelis omnibus maiorem eſſe, vixit ſaeculo poſt Chriſtum natum ſecundo, et ſunt, qui demonſtrant, ea ipſa, quae is de Minerua disputat, ex Chriſtianorum decretis translata eſſe. Plato quidem Nemeſin vocitat angelum ſupremi numinis, ſed, vbi de Diis agit, loquitur populariter, Nemeſis autem, iudice vulgo, erat Dea, eamque a daemonibus ipſe ſecernit. Dii vero iſti cum angelis Chriſtianorum nequeunt contendi. Ideo angelus ibi ſignificat adminiſtrum.

Multi homines chriſtiani veſtigia ſacra in profanis vident, vbi oculus fidelis et rectus, vel acie contenta, ne leuiter quidem preſſum veſtigium conſpicit. Auguſtinus ſono

x) Caſaubon. ad Antonin. p. 392. Epiſtol. criticar. p. 214. Moshem. l. c. p. 347.

no vocis deceptus, ex chartis Platonicis verbum illud Dei, per ſe ſubſiſtens, quod Ioannes explicat, eruit a). Steuchum Eugubinum, Liuium Galantem, Mucium Panſam, Pfannerum, Huetium, Bochartum, Cudworthum, aliosque, concentum quendam Chriſtianorum et gentilium efficere, non multo ſucceſſu, conatos eſſe, noſti. Platonici iuniores carpere paſſim, apum more, quaecunque placerent, proin ad ſuam rem a Chriſtianis mutuari, quantum ipſis videretur.

§ XXXII.

Quid de daemonibus, virtuti et vitio praefectis, et ceteris omnibus, ſit ſentiendum?

Rarior geniorum, virtuti et vitio dedicatorum, memoria eſt in Graeciae et Latii monimentis, at Chriſtiani veteres ſibi hoc perſuadebant, omne malum et bonum in homine, genii cuiusdam inſtinctu, exoriri, ſingulisque vitiis ſingulos daemones praeeſſe, hosque in animos ſeſe inſinuare, in iis-

demque

a) Auguſtin. confeſſ. 7. 9.

demque commotiones ciere; quare Origenes loquitur de ſcortatus, de irae, de auaritiae et ſuperbiae ſpiritu, et de aliis innumerabilibus b). Hoc ſcitum codici ſacro repugnat, docenti, naturam noſtram, primorum hominum defectione, corruptam eſſe. Baſilii M. exorcismus iubet, recedat procul daemonion quoduis malum et impurum, libidinoſum, vinolentum, impudens, ciens tumultus, contentionis plenum, mutabile, imbutum erroribus, mendax, inſaniens amore, morbum inferens, vel infirmitatem c). In daemonibus ergo vitiorum origines reſidere ſuſpicabantur. Has opiniones, quas ante doctrinam ſanctiorem ſuſceptam animo imbiberant, dein cum hac ſociarunt, nam Graeci et Romani fana concordiae, diſcordiae, et libidini, ideo conſecrabant, quod mortalium genus ad virtutes et vitia a certis geniis impelli coniectura augurabantur. Iſta perſua-

b) Origen. in Ioſuam homil. 15. Coteler. ad Hermae paſtor. lib. 2. T. 1. p. 85. Potter ad Clem. Alexandr. paedag. p. 174. c) Fabric. biblioth. gr. Vol. 8. p. 98.

perſuaſio manauit etiam ad ſolitarios Chriſtianos, qui iuuenes, ſi forſit obdormierant, id genio ſomni tribuunt, certe Hilarionem latentem ſtatim daemon malus prodit d). Haec dum ſtatera examino non populari, ſed aurificis, vix habeo, quod illis tandem opponam, qui ficta eſſe contendunt, quae de tot daemonibus, a Chriſtianis verbo exturbatis, leguntur. Voluens politiae noſtrae annales, accedo iis, qui, morbos perniciosiores virtute diuina emotos fuiſſe, cenſent. Qua in ſententia poteras permanere. Quod ſi erres, hoc eſt cuiusuis, in errore autem perſeuerare, inſipientis eſt. Chriſtiani doctores autumarunt, daemones in corpora irrepere, morbos creare, in cubantibus reſidere, eos inquietare, mentemque percellere, debilitare et affligere. Haec non longa digreſſio a veritate, quae eſt aliena firmae aſſenſionis, non perrumpit ſcientiam rerum diuinarum. Errorem hunc leuem, qui ibat ante oculos totius generis humani, ciuitatis noſtrae ſancti viri cum lacte nu-

M 2 tricis

d) Moshem. ad Cudvv. p. 254. Andilly vit. patr. ſanct. in deſert. Vol. 3. p. 262. Vol. 2. c. 15.

tricis ſuxerant, neque is ſanctae officit doctrinae, nam ad hanc probandam aeque validum eſt, ſi, nomine Ieſu recitato, inueterati dolores fugati, quam ſi ſpiritus eiecti, putentur. Non dubito, viros harum rerum ſcientiſſimos omni tempore in re publica Chriſtiana fuiſſe, qui perſuaſionem vulgi non veram eſſe perſpexerint. quippe primis ſaeculis fuere, qui in ipſa Chriſti ſanatione morbos duntaxat corporis intelligerent e). Poſtea multi praecipere auſi ſunt, morbos naturales temere daemonibus adſcribi, nam Pſellus medicos quosdam ita ſentire dicit, grauiterque fert, quod morbos non a daemoniis, ſed ab humoribus et articulis, creari firment, atque medicamentis et diaeta, non autem carmine, curare nitantur f).

§ XXXIII.

Patrum teſtimonia de geniis et aliis rebus parum valent Dallaeo.

In doctorum eccleſiae noſtrae locum quae-

e) Origen. ad Matth. p. 311. f) Moshem. l. c. 856. Pſelli operat. daemon. p. 84.

quaedam ſuppoſita ſunt, nam in tempore omnia fuci, et technarum, plena fuere, proque illis, ob ignorantiam veri, alieni fetus ſubſtituti. Res multi laboris eſſet demonſtrare, ea omnia, quae a patribus ſcripta feruntur, ab iis ſcripta, et ab omnibus credita, eſſe, quod nullae vnquam ſpongiae efficient, nullique pumices. Eraſmus talem cuculum deprehendit, qui nunc in nidis Euſebii et Cyrilli, nunc Auguſtini et Ambroſii, nunc Damaſi et Hieronymi ſua oua poneret, atque ex iis pullos excluderet. Nebulones iſti Muſarum quoque integritati et pudicitiae inſidias tetenderunt, vt inquinatae deuirginentur, optimosque auctores iugularunt, ſaltem membris, ſi qua ſuo palato non optima erant, mutilarunt, quaſi alterum Deiphobum, lacerum crudeliter ora, et manus ambas, populataque tempora raptis auribus, et truncas inhoneſto vulnere nares. Id dedecus inter fraudes pias numeratum. Proinde venerandi patres, ad gratiam iis conciliandam, ea arte curati ſunt, qua molliculi ſenes, quibus omne hirſutum tonſum, quibus barba

picta, et os infucatum, quibusue cutis leuis facta. Porro ſaepe tantum ex aliis decerpta contexuere, quod apparet in ſexcentis centonibus, optime conſutis, certe Hieronymus varia in ſermonem congeſſit, ita, vt modo Iudaeum, modo gentilem, loqui putes, faſſusque eſt, ſe et ſua et aliena dictaſſe, ſaepius nec verborum, nec ſenſuum, nec ordinis memorem. Dormitat cum ceteris interdum, vt bonus Homerus. Prudens praetereo eorum incuriam temporum digerendorum, hiſtoriarum, grammatices ſeu litteraturae, linguarum theologo neceſſariarum, expoſitionis ſacrae, ratiocinationis fabularum, et notitiae orbis, nam Baſilius Danubii fontes in Pyrenaeorum radicibus, et Eridani caput in Rhipaeis vltra Scythiam montibus, et ceteri omnes, Gehon, flumen Edenis, Nilum eſſe tradunt. Phiſon, fluuius paradiſi, eſt, auctore Epiphanio, Ganges. Ambroſius ſolem, ad ſui temperiem, nutrit aquis, inde madidum nonnunquam et rotantem dicit videri. Chryſoſtomus vult, caelum eſſe cameram, aquis, ceu baſi, fultam. Alii antipodas praefracte negant, et

et ſibi aduerſos ſempiternis cruciatibus addicunt. Gregorius M. Aetnam, et alios montes igneos, putat ollas tormentorum infernorum eructare. Philaſtrius paganos a Pagano quodam deriuat. Tertullianus plantas intelligentia praeditas, et Epiphanius contendit, mortuum poſſe ſine anima reuiuiſcere. Hilarius, volatilia caeli, quae nec ſerunt, nec in horrea condunt, explicat ſpiritibus immundis, et lilia, quae neque laborant, neque nent, interpretatur ex angelorum caeleſtium claritate. Quis ignorat Chryſoſtomi, Hilarii et Ambroſii hyperbolas et orationum ornamenta? Hieronymus narrat, ſe protractum fuiſſe in tribunal Domini, acriterque ibi caeſum, nec vero, addit, ſopor erat, quo ſaepe deludor, liuentes habui ſcapulas, et plagas poſt ſomnum ſenſi. Atqui ipſe alibi fatetur, fuiſſe ſomnium, ſeu narrationem, rhetorum more, ad lectores a nimio gentilium ſtudio deterrendos, inuentam. Clementi Alexandrino, angelos ardere mulieres, et Tertulliano, qui idem aſſumit, placet, animas viſas eſſe diaboli fraudes. Papae. Oecumenius per angelos leges datas

eſſe ſcribit. At in ipſo grege reperti, qui paſtoribus nonnunquam doctrina antecellerent, nam teſte Ambroſio, ſacerdotes nutaruat in multis, ſaepe errarunt, et grex fidem reſeruauit. Quid multa? Patres ipſum ius naturae et gentium confringunt peruertuntque, hinc multis hodie parum valent, maxime ad controuerſias dirimendas, adde, quod inter ſe diſcordant, tribuuntque toti coetui, quae ipſis ſolis arrident. Poſtea innumerabiles de angelis, draconibus et mortuis viſis, fabellae a ſocietate ſacris deuota impune confictae, vix vno contra dicente, e re ſua diſſeminatae ſunt. Multa narrantur bene male, ex ſermonibus vulgi, non raro delirantis. Launoius ſiluam figmentorum, Caroli M. aeuo, ab radice pullulantem, ac longe lateque frondiſeram, amputauit, excidit, euellitque. Ex eo tempore ſcatent ſeptem ſaecula commentis tartareis, quorum auditione nunc vix parui ducuntur. Iſta mendacia prodigioſa, quae non cohaerent, latent iam in gurgitibus imis. Feriati, et ceſſatione torpentes, monetam improbam cudebant, probamque adulterabant, veritati

ſci-

ſcilicet auctoritatem adiuncturi, inde manarunt tot viſionum ſermunculi, inde daemonum, ſeu pygmaeorum, ſenſus noſtros fugientium, pugnae ardentes extiterunt g).

§ XXXIV.

Daemones fere ſubmerſi nonnunquam emergunt. Concluſio.

Mitto Seuennenſium ſpiritum mendacem, qui promiſſis, Thomae Emeſio, e mortuis excitando, datis non ſtetit, quique prudentium obſeruatione inuentus eſt. Audaciam magiae et ſuperbiſſimum dominatum ſuperſtitionis fregerunt bellatores, Franc. de Ponzinibus, Io. Wierus, Petr. Abanus, Petr. Pomponatius, Gabr. Naudaeus, van Dale, e quo Becker plurima hauſit, et Chriſt. Thomaſius, qui, quod rectam viam patientibus veri, et quidem non per fundum Platonis, aperuerunt, laude illuſtri celebrantur. Ex quo coetuum Chriſtianorum doctores ſordibus Platonicae

 phi-

g) Dallæus l. c. p. 11–29. 60. 83. 153–155. 217. 237–252. 142 255. 260. 261. 83. 198. 195. Barbeyrac. præfat. ad Pufendorf. ius nat. § 5. Pilati beſtritt. und verfocht. Wirklichk. des natürl. Geſetz. p. 72–78. Dallæus l. c. 203–212. 30–37.

philoſophiae purgati, hominesque minus creduli eſſe coeperunt, paucis morbi, daemonum praeſtigiae, videbantur. Nemo terſus et limatus metuit hodie illos tortores Samiarios, qui vitae reliquias lacerare quondam dicti. Plus erat in metuendo mali, quam in illo ipſo, quod ſtupor cordis timebat. Nunc daemones rareſcunt, timent enim ſeruiliter, ne indicati aedibus extrudantur. Licet iſtae fabulae habeant metus vanos, tamen laudandi, qui ſeruitutem hanc ciuitatibus depulere. Daemones nunc fere ſubmerſi, apparent rari, nantes in gurgite vaſto. Sed nulla aetas prorſus caruit hoc errore humano; ne illa quidem lux, quae a renatis litteris arti medicae affulſit, illum exſtinxit, nam ſuperiori ſaeculo Valentin. Greaterick, Hibernus, omnes morbos generari a daemonibus, quosue euocare ſe poſſe, apud vulgus mentiebatur, cuius autem furores, in Britannia mente conceptos, compreſſit Henr. Stubbius. Hac quoque aetate habeo, qui, coeno Platonico obliti, non cuperent luto euellere plantam, quamuis daemonia iam diu, velut facis exſtinctae fumus, euanuerint. Sunt homines litteris quidem

tincti,

tinċti, ſed non toti, quorum ars indotata verborum dote locupletatur. Quae iurgia puellulae quaedam, amore aduena torſae, in vicinis oppidis pepererint, ſciunt omnes a furno, lacuque redeuntes. Quo paċto vnus multorum mordacem vltus ſit, omnibus lippis et tonſoribus notum. Si annoſa vetuſtas ipſam naturam paullatim exedendo perimit, quid mirum, ſi daemones, ad facinora nati, computrescunt, ſi in telluris gremium, vbi diu in terra, velut vertigines ſeċti lumbrici, turpiter iacuerunt, pedetentim defodiuntur.

En orationis exitum. Ego omnes illorum excerpam numero, quibus tu dederis, eſſe daemone afflatos, neque enim, lethargo opprimi, febri calere, liene laborare, ſuperſtitione regi, paralyſi tentari, amore vri, vel ab vtero ſtrangulari, dixeris eſſe ſatis, neque, ſi quis ſimulationem ob lucellum induat, vel amentia flagret, vel atra bili tumeat, vel furore corripiatur, putes hunc eſſe daemoniacum. Ipſas locutiones: a daemone poſſideri, vel eo obſideri, horreo, horrent capilli, horretque animus meminiſſe. Miror, principes viros, qui olim

olim in puppi ſedebant, nocente iſto afflatu non motos fuiſſe, ſed tunicato tantum popello, cui in ſentina locus erat, iubatos dracones afflaſſe, peiores ſerpentibus Afris. Sadducaeum vero, aut porcum de grege Epicuri, cui furiae iſtae aliquid mali faucibus afflare, quem ore attingere, dentibus inſecare, vel lingua aſpergere potuerint, inuenio neminem. Miror, illas ſpecies diras, quae ſeſe transformabant in miracula rerum, per medium Sadducaeorum concionem, hoſtili agmine non ingreſſas, nec in pilatas horum cohortes incidiſſe, easque exanimaſſe, nec coëgiſſe quidem, vt in ſuam turbam concederent, quippe illi iubebant, daemones plorare inter cathedras muliercularum. Tandem non iſto agunt ſpiritus mali, quo tu rere, modo, quosue vis humana non expugnabit. Contra velit Tiſſotus tantum, quae eius eſt virtus, multam daemonum manum arte Apollinea vincet. Omnes daemonum legiones in terris Auſtrinis, larua ſacra exuta, aſpectu perilluſtris L. B. de Swieten obmutuerunt, eiusque acerrimis telis ceciderunt.

leg. p. 112. l. 14. Tyaneo

Baumeiſteri, *Frid. Chr.* Inſtitutiones metaphyſicae, 8. 762.
Bergeri, *Io. Henr.* Reſolutiones legum obſtantium ex Comp. Lauterbach ed. 4ta. 8. 747.
Brunnemanni *Io.* Comm. ad Pandectas, fol. 731.
Clementis, *Alexandr.* Opera graeca et latina, ex editione Heinſii et Syllburgi, fol. 687.
Haferungii, *Io. Caſp.* Collegium theticum in Koenigii Theologiam poſitiuam, 8. 737.
Hanaccii, *Io.* Ius iudiciarium ſaxonic. 8. 730.
Hechtii, *God.* Germania ſacra et litter. 8. 717.
Hilleri, *Io. Fr.* Curriculum Philoſophiae, eiusque pars Ima Logicam complexa, 8. 760.
-- do - P. II Ontologiam complexa, 8. 761.
-- do - P. III. Cosmologiam complexa et Pſychologiam empiricam, 8. 767.
Hommelii, D *Chr. Gottl.* Principia Iuris eccleſiaſtici Proteſtantium, ex iure inprimis ſaxonico electorali deprompta, et ad Theologiae pariter atque iuris ſtudioſorum vſum accommodata, 8. 770.
Hornii, *Caſp.* Iurisprudentia feudalis, 4. 741.
Hunnii, *Aeg.* Theſaurus euangelicus, ſeu Comment. in Euangel. et acta Apoſtol. fol. 706.
-- Theſaurus apoſtolicus, ſeu Comment. in omnes epiſtol. N. T. et apocalypſin, fol. 705.
Hutteri, *Leonh.* Comp. locor. theologic. latino-german. cum praefat. Io. Meisneri, 8. 751.
-- do -- latinum, cum praefat. Schutzii, 8. 772.

Iuſti-

Iuſtini *Philoſophi* et *Martyris* Opera graeca et latina, fol. 686.

Koenigii, *Io. Frid.* Theologia poſitiua acroamatica, ſuccinctis annotat. explicata, 8. 755.

Lyſeri, *Guil.* Syſtema theoretico-exegeticum, editum a Neumanno, 4. 699.

Naevii, *Io. Car.* Tractat. de iuramentis, 4. 710.

Opiniani, *Ariſtob.* Dialogus de numero apocalyptico 666. noua eaque facili methodo expediendo, 8. *Agathopoli* 769.

Reichelii, D. *Chr. Car.* Diatribe de vegetabilibus petrefactis, 4. 750.

Schurzfleiſchii, *Conr. Sam.* Opera hiſtorico-politica, 4. 690.

Seldenus, *Io.* de Iure naturali et gentium, iuxta diſciplinam Ebraeorum, c. fig. 4. 770.

— de Titulis honorum, 4. 696.

— de Vxore hebraica, ſeu de nuptiis et diuortiis, 4. 712.

Stryckii, *Sam.* Tractatus de actionibus forenſ. editio noua auctior et emendatior per D. *Chr. Gottl.* Hommelium, 4. 769.

— Introductio ad praxin forenſem, cum collegio practico, 4. 741.

Waltheri, *Mich.* Officina biblica, fol. 703.

— Diſſertationes theologicae, editae a D. *Car. Gottl.* Hofmanno, 4. 753.

Weidleri, D. *Io. Frid.* Inſtitutiones aſtronomiae, cum tab. aeneis, 4. 754.

— Bibliographia aſtronomica, 8. 755.